
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Ehrd. Phil.

Henrici Nicolai

1. Natalitia, Editio 2da.
2. Passionalia.
3. Paschalia.
4. Pentecostalia.
5. Michaelia.
6. Tractatus de Magicis Actionibus.
7. Tr. de Causa per Accidens.

D. O. M. A.

MICHAELIA.

Hoc est,

De Angelis, Eorum naturâ, officio, speciebus, diversitatibus, effectis, & similibus,

EXERCITATIO SCHOLASTICA Singularis.

Variarum quæstionum de materijs illis brevem ac Scholasticam explicationem repræsentans.

Authore

HENRICO NICOLAI,

Apud Gedanenses Professore.

DANTISCI,

Typis *GEORGII RHETII,*

ANNO M DC XLV.

D. O. M. A.

MICHAELIA.

Hoc est,

De angelis, eorum natura, Officio, Speciebus, ac diversitatibus, Festoq; Michaëlis,

EXERCITATIO SINGVLARIS.

Quæstionum quarundam brevem ac Scholasticam elucidationem continens.

THESIS I.

I*Ta & Pentecostalia discussa, ac beneficia Spiritus S. Vt par est, ad ventilandum appensa ac expensa. Trahit nos anni labentis series post Dei, Christi, ac Sp. S. festa* ad Creatorum Spirituũ festum, quod S. Michaëlis *vocamus, Quorum naturæ, statui, ac officiis, quibus erga mortales variis modis defunguntur, perpendendis peculiaris in anno dies â Christianis est consecratus, quò serius ad animum Dei benefacta etiam per angelos in nos effusa admittantur, perpendantur, agnoscantur, ac publico præconio in Ecclesiâ annuntientur & deprædicentur. Eâ ratione* notitia *Christianorum augeatur,* pietas *in hominibus confirmetur,* regnum DEI *promoveatur, & quid de Angelis nobis habendum, expendatur. Nam ut DEVS noster eum morem servat, ut benefaciendo nobis nunquam fatigetur, indies nova post vetera benefacta cumulatè sufficiat: Ita ex tot DEI benefactis morem eum observare & haurire Christianos par fuerit, ut nunquam memorandis æternis istis benefactis subsidant, quotidiè de novo ad prædicanda ea animum attollant, laudesq; Creatoris & Servatoris*

incessante ore, animo, calamo, depromant. Ingens quippe crimen est, ne confessione quidem gratum esse: ac qui beneficium non reddit, non minùs in culpa est, ac qui non dat, cum possit. *Feras ipsas officia sentire videmus: nec facilè tàm efferatum animal erit, quod non benigniore curâ mitigetur, & in amorem benefacientis transeat. Ita leonum ora à magistris cibantibus sine noxâ tractari, elephantorum feritatem usq; in servile obsequium cibis deflecti, ac caballorum ferociam equisonis benignitate ad lupatha accipienda demitti experimur. Quid homines agere decebit, cum extra intellectum viventia assiduitate meriti pertinacis ad mitescendum evinci apertum sit? Inprimis cum instet DEus quotidiè, & oneret priora benefacta sequentibus, ut ex immemori nostro pectore gratiam extundere velle videatur. Quare post cætera benefacta & ea, quæ per Angelos in nos demittit DEus, consideratâ specialius angelorum bonorum inprimis naturâ & officio, distinctè & in particulari* peculiari Exercitatione BONO cum DEO *eventilemus.*

2. *Methodo usitatâ procedendo Angeli* vel præcognitivè spectari possint, vel cognitivè. Præcognitivè 1. An dentur, Ubi dentur, & ubi ac quot modis illi considerentur? Qua primum, *Dari eos negârunt antiquitus* Sadducæi, *qui nec angelos, nec spiritus, h. e. animas hominum immortales, quas Spiritus voce commodissimè hic intelligi ex similibus animæ appellationibus in Scripturâ usitatis patet, ut* Eccles. 12. v. 7. Psal. 31. v. 6. Psal. 36. v. 4. Zacch. 12. v. 1. Matth. 27. v. 50. Luc. 23. v. 46. Act. 7. v. 59. 1. Cor. 2. v. 11. C. 5. v. 5. C. 6. v. 20. 34. *Et alibi, concesserunt,* Act. 23. v. 8. *& de quibus similia* & Josephus l. 18. Antiq. c. 2. *tradit: Similiter omnes Epicuræi & Athei, qui cum Epicuro DEum, providentiam, & Spiritus sustulerunt.* (*Quanquam de mente* Epicuri *quidam diversi sint,* ut dec. 3.

Miscell.

Miſcell. d. 1. t. 24. *adduxi.) Noſtris temporibus circa an: 1502. & ſequentibus quidam* Hermannus Riswich *Batavus angelos bonos & malos negavit apud* Luzemburgenſ. in Catal. hær. voce Hermannus, & Caſtrum l. 2. c. hæres. Ex Papiſtis *quidam* & Luthero ac Lutheranis *eundem errorem tribuunt, quod non niſi Scripturis expreſſa credant, & angelos creatos eſſe nuſpiam ibi exprimatur,* Vt Ederus in Babyl. hæret. p. 10. *Sed & antecedēs calumnia eſt, cū & conſequentias legitimas competente ſenſu è ſcripturis eductas admittamus, & ſi ſonum ac expreſſa verba non legamus, ut Patrem, filium & Spir. S. eſſe perſonas, filium Patri conſubſtantialem eſſe, qvomodo ſcriptura nunquam loquitur: Et conſequens falſum eſt, Cum ſæpè ſcriptura angelorum meminerit, eosq́ Creaturas eſſe apertè inſinuet,* Vt t. 17. *patebit.* Indirectè *angelos negant* Photiniani, *ex hypotheſi, quòd aliquid ex nihilo creare ſimpliciter impoſſibile ſit, unde materiam aliquam DEo coëternam ſtatuunt cum Hermogene & Marcionitis.* V. Smalcium c. Franz. d. extr. Judic. p. 414. 415. Moſcorovium appendic. refut. Smiglec. p. 30. Et lib. de baptiſmo c. eund. *c.* 3. p. 78. ſeq. aliosq́;. *At Angeli aliter fieri niſi ex nihilo, non poſſunt, cum ſubſtantiæ completæ incorporeæ ſint,* §. 11. 12. *Hâc ratione illi prorsùs negabuntur.*

3. Oppoſitum, dari *nempè reverâ Angelos, probari poteſt* & Argumento artificiali, & inartificiali. Artificiale *ex naturâ & validâ ratione deſumitur. Negant quidem nonnulli, ſatis efficaciter id è naturâ firmari, ut* Thomas, Ferrarienſis, Vaſquius, Suarius, Valentia, & Tannerus d. 5. Tom. 1. q. 1. d. 1. §. 6. 9. Hutterus L. C. de creat. q. 7. Becanus p. 1. Th. Sch. tra. 3. q. 1. §. 3. alijq́;. Ex rationibus tamen adducendis *contrarium patebit* 1. A perfectione mundi ſumitur. *Si enim mundus perfectus, præter ſubſtantias creatas corporeas ne-*

 ceſſe

cesse est & incorporeas ac Spirituales eum habere, nam & hæ perfectæ substantiarum species, adeoq; perfectioni mundi debitæ: Et ubi unum oppositum reale in naturâ constitutâ & absolutâ datur, & alterum dari necessum est, ut calidum & frigidum, simplex & mistum, animatum & inanimatum, sensitivum & insensatum, rationale & bestiale, humidum & siccum, &c. Sed corporea in mundo dantur, ut patet. Ergo. 2. Ab exemplo obsessorum & arreptitiorum, *in quibus exoticarum linguarum, & artium & disciplinarum, rerum item incognitarum, absentium & multùm dissitarum interdum cognitio, Vis item vaticinandi, argutè philosophandi, de rebus abstrusis disserendi, robur insolitum & ultra humanam sortem,* V. Marc. 5. v. 3.4. *est, cum ipsi per se rudissimi & infirmissimi idiotæ sint, Vt exemplis* Bodinus l.3.dæmon. c.6. *ostendit: Item lamiarum, Sagarum, & Magorum, in quibus varia & mirabilis, & ultra ac supra naturæ vim interdum actio est,* Vt Tract.deMagicis actionibus C.4.5.visum. *Sed hæc omnia nec â DEo sunt, nam sæpè hic actus mali sunt, ut mendacia, blasphemiæ, periuria, incantamenta, homicidia, qualia non â DEo, qui non potest eorum esse author, quorum severus est prohibitor & ultor: nec ab animâ hominum propriâ, nam rudissimi sæpè idiotæ & mulierculæ sunt, quæ ne 8. quidem ritè numerare queant: Nec ab animâ separatâ Corpus agitante, ut obÿci posse* Becanus c. l. *putat, Nam & in paradiso serpentis agitatio ad loquendum fuit,* Gen. 3. *Cum nulla adhuc anima separata, & distinctè loqui posse vim naturæ in serpente multùm superat: Ac sæpè talia in Magis opera sunt, quæ vim naturæ superant. Vt sensus fascinare, rerum interdum species immutare, insolita & antea nunquam visa ostentare, Verbis, ritibus, ceremoniÿs, characteribus maleficiare, interimere, excæcare,* Vt c. l. *visum: Anima autem separata ultra vim naturæ suæ agere non potest, Vndè enim*

eam acciperet? Vt non dicam animarum apparitiones & Corporum commotiones sæpè commentitias & â solidâ ratione alienas esse, Vt c. l. c. 9. t. 43. *probatum. Vt multò minus probabile sit, actus ultra suam sphæram eas operari in Corporibus posse. E. â Spiritu aliquo alio præter DEum & animam talia sunt, qui nullus alius, quàm angelus, & sic angelum dari omninò & ex Naturâ constat.*

4. 3. Ab exemplo Spirituum incompletorum, quales animæ humanæ. *Dantur Spiritus incompleti in naturâ absolutâ, & in omnibus speciebus suis completâ, animæ humanæ, quas Spiritus esse ex Scripturâ & operationibus patet,* V. t. 2. *& substantias ac res subsistentes esse, non solos motus, commotiones, incitationes, aut affectus contra* Sadducæos, Epicuræos, Democritum, Dicæarchum, Averröem, aliosq; *in Physicis ex animæ denominatione, operatione, informatione, intellectione, separatione & immortalitate demonstratur. E. & completi in eadem sunt dandi, qui angeli. Semper enim in naturâ completâ, (Vbi creando Deus omnes species complevit, ne animalis bestialis tantùm existentis ante hominem creatum, & substantiæ spiritualis ante corpoream conditam exemplum regeras, non enim natura adhuc completa fuit,) Vni opposito respondet alterum oppositum, ut ante dictum, & â* Syracide c. 33. & 42. *insinuatur, ut* dec. 1. Miſcel. d. 3. t. 1. *ostendi.* 4 Ab absurdo consequente. *Si non dantur angeli,* aut *dari eos repugnabit* ex parte efficientis, *qui nequeat producere, aut nolit, quod non, quia Deus ad creandum eos æquè potens est, ac ad substantias Corporeas producendum, sunt enim reverà factibile quid, ut & corporea: imò efficiens magis assimilare, quam diversificare sibi effectum intendit. Deus a. spiritus est: Magis ergò Spiritus, quàm Corpora producere cupit & inclinat, ut nolle eum Spiritus formare dici non*

possit.

possit, cum similiores ei hi, quàm Corpora: Aut ex parte rei, *quasi illa penitus impossibilis aut DEo indigna sit. At neutrum hic est, nam & naturâ sui fieri possunt angeli ab infinitâ virtute, & magis assimilantur primæ Causæ, quàm Corpora, unde magis DEo dignum est, angelos facere, quàm Corpora:* Aut ex parte finis & fructus, *quasi is nullus in angelis sit. At nec hoc est, cum & ratione DEi & hominum ingens in angelis usus sit, ut* §. 61. *constabit:* Aut ex parte termini à quo, *quòd ex nihilo eos creatos esse oporteat, quod contradictorium sit, ut* Photiniani & gentiles *quidem censent. At hoc etiam nihil est, cum virtuti infinitæ hoc omninò possibile sit,* Rom. 4. v. 17. & *mundum de facto ex non apparentibus creatum esse de fide certum sit*, Hebr. 11. v. 1. *Nec ratio infinitam vim ex nihilo aliquid facere posse ut verè contradictoria, & quæ fieri reverà non possint, apprehendit, ut latius alibi contra* Photinianos *ostenditur. E. Angeli omninò dantur. Quæ de motu orbium cælestium ab angelis vel Intelligentijs facto pro angelorum existentiâ ab* Aristotele, Conimbricensibus, Pererio, alijsq; *adducuntur, incerta & futilia sunt, eoq; inter vera argumenta non adducenda, cum præterea alia suppetant, ut visum, nec Cælum orbibus realib. constet, & suaptè natura propriâ moueri possit, non angelo ad id egeat, ac stellis in cælo â Scripturâ motus ipse assignetur, ut* alibi *uberius docetur.*

5. *Ita* artificiale argumentum *pro angelis fuit:* Inartificiale partìm à scripturâ sumitur, *quæ â primo libro usq; ad ultimum fermè in omnibus angelorum meminit. Prima eorum mentio in* Gen. c. 3. v. 24. *est, Vltima in Apocalypsi ultimo seu* 23. cap. v. 16. *Intermedij fermè omnes sæpius angelorum meminerunt.* Quidam *originis eorum,* alij *status,* alij *officij,* alij *apparitionum & operationum variarum,* alij *defectionis,* alij *beatitatis:*

titatis: Partim ab authoritate humanâ Patrum, ac Philosophorum & Christianorum, *inter quos recepta sententia est, esse reverâ angelos, & si de naturâ & conditione eorum varia interdum Controversia:* Et Ethnicorū, *inter quos multi Spiritus creatos ac angelos esse concesserunt, ut* Aristoteles, Plato, Stoici, Plutarchus, Socrates, alijq́;, Omnesq́; illi, *qui genios esse statuerunt.*

6. Primum præcognitum *fuit.* Quà secundum, Vbi dentur angeli? Dantur in re, non *ratione. Habent enim realem & veram in naturâ extra cogitari & intelligi essentiam & existentiam, nec totam eam à ratione cogitante mutuantur, ut eâ cogitatione desinente & ipsorum esse desinat, quomodo Entia rationis & ea, quæ à ratione tantùm sunt, esse suum habere solent, Vt* alibi *docetur.* Quà tertium, Vbi considerentur? Ita *variè considerari possunt. Vt sunt substantiæ initio Creationis â DEo creatæ, variis usibus, quà DEum, quà hominem, addictæ, variisq́; operationibus ac apparitionibus hominibus ostensæ & demonstratæ, Ita in* Theologiâ *considerationem aliquam sustineant:* Vel ut sunt species Entis substantialis, *incorporea nempè & immaterialis substantia, Ita in Metaphysicis & speciebus Entis memorentur, non tamen specialiter & ex professo pertractentur:* Vel ut sunt species peculiaris obiecti naturâ scibilis, *substantiæ incorporeæ, in peculiari doctrinâ Philosophicâ adæquatè & distinctè repræsentandi, Ita in Pneumaticis, scientiâ Philosophicâ spiritus ut sic, tractantur, quomodo usitatè hodiè â potioribus Philosophis peculiaris disciplina in Philosophiæ habitu pro spiritu assignatur, Pneumatica, non ad Metaphysicā, Vt* Scheibler9, Timpler9, Suaretz, Werēbergius, Piccartus, vel *Physicam,* ut Scribonius, Goclenius, Crusius, Bodinus

 Neuvil-

Neuuille, Ramistæ, Vel *solam Theologiam ille refertur, ut* D. Hutterus, Becanus, Althusius, Scholastici, aliją; volunt. *Prout latius alibi* in Pneumaticis *totum id deducitur*: Vel ut loco thematis simplicis *substantialis Logicâ methodo pertractari per competentia membra possunt. Ita ad praxin primæ partis Logicæ pro tractatione thematicâ referri queant*: Vel ut occasione festi Ecclesiastici *natura & conditio eorum specialiter Philosophicè simul & Theologicè ventilatur, Ita in argumentum præsentis tractationis maximè insumendi fuerint, & quæ ad festum ipsum Michaëlis pertinent, simul discutienda veniant.*

7. Sic præcognitio *fuerit.* Cognitio nominalis & realis fit. Nominalis partim *in æquivocatione, quà vox angeli modò propriè pro nomine proprio Viri sumitur, Vt*, Angelus Politianus, Ang. Patritiacus, Trevisanus, *Raus, &c. ap.* Zuingerum in theatr. *Modò appellativè, Et sic modò Christum DEi filium, Vt* Gen. 48. v. 16. Exod. 3. v. 2. C. 23. v. 20. Esai. 63. v. 9. Malach. 3. v. 1. Act. 7. v. 30 seq. *quod alienè ê* Papistis *negant, qui reverâ DEum ipsum in V. T. apparuisse negant, Vt* Thomas, Pineda, Tostatus, Serarius, *qui præeuntes* Patres *quosdam habent, subsequas ê novellis* Photinianos, *aliosq; ut alibi patebit*: Modò *quosvis nuntios aliquò missos. Vt* Gen. 32. v. 3. Esai. 33. v. 7. *Vbi non Concionatores Verbi propriè, Vt apud* Postillatores *classicum est, sed Legati Iudaici ad Assyrium de pace procurandâ frustrà missi intelliguntur, ut è circumstantijs textus patet, Ac à Chaldæö Paraphraste emphaticè redditum est, Et legati populorum, qui abierant ad annuntiandam pacem, Rectèq;* D. Arculario in h. l. *observatum est*: Modò verbi Ministrum Malach. 2. v. 7. Apoc. 1. v. 20. C. 2. v. 1. 8. 12. *& alibi*, modò *quemvis hominem consilia aut placita DEi exponentem*, Job. 33.

v. 23. *Modò spiritualem substantiam creatam, ab animâ rationali distinctam, Vt* Psalm. 104. v. 4. Heb. 1. v. 3. *& passim. Quomodo* hic *sumitur :* Partim in originatione. *Quomodo Logicè angelus ab angelitate, Grãmaticè â Græco* ἄγγελος *&* ἀγγέλλω, *annuntio, derivationem habet, ut nomen officiale, non naturale, & muneris, non essentiæ sit :* Partim in æquipollente significatione, *quomodo & Spiritus, substantiæ spirituales, separatæ, abstractæ, puræ, simplices, mentes abjunctæ, Intelligentiæ, genij, dicuntur. Græcis* ἄγγελοι, πνεύματα, δυνάμεις, ἄρχαι, δαίμονες, *quasi* δαήμονες, *scientes vel sapientes, ut quidam ex* Lactantio & Platone reddunt, *quanquam* Augustinus *neget bonos angelos unquam in sacris dæmones dici, semper de malis id intelligi,* l. 9. d. Civ. DEI c. 19. *Quod de usu scripturæ quidem verum est :* De vocis significatione & derivatione tamen *negari nequit, & angelis bonis omninò eam competere. Nam & illi scientes ac sapientes sunt, quanquam superiore gradu, quam mali :* Hebr*æis* מַלְאָךְ *ab Aethiopico* לאך *misit, servivit, quo idiomate adhuc radix ista retinetur, cum* Hebræis *inusitata sit,* רוהות, *interdum tropicè & periphrasticè flammæ ignis,* Psal. 104. *stellæ matutinæ, filij DEI, Elohim, Dij s. fortes, DEi ministri, ut t. 75. pluribus patebit.* Dionysio l. d. diu. nom. *agalmata dicuntur, q. specula clarissima lumen DEi suscipientia ejusq́; imaginem repræsentantia,* Vt Flud. T. 1. Medic. Cathol. t. 1. s. 1. p. 1. l. 2 c. 2. & lib. 2. Moriæ p. 49. observat.

8. Cognitione Nominali expedita Realis *subjungenda,* quæ absoluta & respectiva *esse queat.* Absoluta, *quà angelus in se ipso citra collationem cum alio spectatur.* Hæc definitionis, attributorum, officij, ac effectus, denominationis, & divisionis esse queat. *His enim membris realis aliqua thematis pertractatio maximam partem absolvitur.*

9. De-

9. *Definitio sit:* Angeli sunt substantiæ spirituales completæ, intellectu & voluntate præditæ, à Deo principio creationis sanctæ & bonæ creatæ, gloriæ Dei illustrandæ ac ministerio DEI & hominum destinatæ.

10. Vt definitio ejusq; *sensus intelligatur, varia de singulis vocibus ejus sunt inquirenda, cum multa Controversa cum nonnullis hic, & sensum vocum ac prædicata angeli quidditativa determinatiùs inquirere oporteat. Dicuntur* 1. Substantiæ. Substantia est ens per se subsistens, non in subjecto instar accidentis inexistens. Quæritur, an angeli veræ substantiæ & hyphistamena sint? *Inter eos, qui angelos quidem dari concesserunt, quidam substantias tamen esse negârunt, & motus bonos aut malos, inclinationes humanas, inspirationes, affectus & virtutes, dixerunt,* Vt Democritus, Averroës, Epicuræi. Ac de Libertinis & Anabaptistis *similia nonnulli tradunt,* Vt Forsterus dec. 2. Symb. Apost. q. 3. Et disp. de angelis t. 15. Chemnitius p. 1. L. C. d. creat. p. mihi 131. Qui DEi pœnam *angelum malum, gratiam Deum Anabaptistas suo tempore docuisse refert.* Manichæis *idem alij tribuunt. Sed* alij *angelos de substantiâ DEI genitos eos censuisse affirmant,* Vt Pontanus Catal. hær. c. 32 Et ex Concilij Braccarensis Can. 5. patet. *De animâ simile quid* Dicæarchus ap. Ciceronem 1. Tuscul. & Aristoxenus ap. Lactantium 1. d. diu. præm. c. 13. *statuerunt, quòd instar harmoniæ viscerum in Corpore sit, nihil realis substantiæ. Contrarium patet* 1. A nominibus angelis in Scripturis attributis, *quibus Ministratorij Spiritus, nuntij, vigiles, custodes, flammæ ignis, stellæ matutinæ, filij Dei, fortes & virtute potentes &c. dicuntur,* V. t. 75. *Quomodo nunquam accidentia dicuntur. Sic Diabolus se in angelum lucis transformare*

formare dicitur 2. Cor. 11. v. 14. *Vbi schema est, quod in oculos incurrit, figura, Corpus, aut simile quid, quod de nudis motionibus dici non potest.* 2. A definitione substantiæ antea assignatâ, *quæ tota angelis competit, nec subjectum, cui inhæreant vel inexistant, ut extra illud esse nequeant, ut accidentia, assignari potest. Essent n. Corpora, at improportionati ad ea sunt, tanquam superioris ordinis: vel Spiritus, at præter DEum & animam nulli sunt. Quibus angelos ut subjectis inesse inconveniens.* 3. Ab operationibus angelicis, *quales intelligere, velle, lætari, tristari, loca mutare, accedere, recedere, apparere, lædere, juvare, Christo servire, quæ passim in sacris ipsis attribuuntur. At hæc non nisi substantiarum sunt, non solorum accidentium.* 4. A prærogativâ eorum præ corporibus. *Corporea sunt substantiæ, ut conceditur. E. magis spiritualia. Sunt n. hæc nobilior species substantiæ, Cum in incorpoream, & corpoream dividitur.* Dices: *Si veræ substantiæ essent, haud dubiè à Mose in creatione substantiarum memoratæ essent, Cum altum de illis ibi silentium. R. Quid hic respondendum,* t. 19. *patebit.*

11. Dicuntur 2. Spirituales, h. e. immateriales & incorporeæ, nec ex se corpore ullo præditæ eiuè alligatæ, nec ex naturâ sui ordinem vel unionem ad illud obtinentes, quod de anima rationali separatâ aliàs constat. An autem realiter incorporei sint, *iterùm controversum est.* Corporeos enim eos ex antiquioribus *varij variè fecerunt.* Quidam adæquatè & totaliter, ut *nullâ parte substantiali incorporeâ constent, sed corpora subtilissima & tenuissima habeant, Vt* Sadducæi & Philosophi quidam, Ex Patribus Tertullianus, Cassianus, Hilarius, Iohannes Thessalonicensis: Alij inadæquatè & partialiter, ut *ex Corpore & spiritu constent,*

& animalia rationalia immortalia sint, Vt Origenes, Cæsarius, Basilius, Athanasius, Methodius, Augustinus, Bernhardus, Rupertus, Eugubinus, Niphus, Platonici, alijq; V. Tannerum T. 1. d. ang. d. 5. q. 1. d. 2. Quibus Greg. Nyssenum & Caietanum *quidam connumerant*, Vt Delrius l. 2. disq. Mag. q. 15. *Quanquam* Augustinus *alibi hic dubitat*, V. Viuem in 15. d. Ciu. DEi c.23. & ex Neotericis Zanchius p. 1. d. op. 6. dier. l.2. c. 3. Vorstius exeg. apol. c. 7. Goclenius disq. Philos. alyq; *huc accedunt*. Thalmudistarum *errorem esse* Tostatus in C. 13. Gen. q. 404. & ex eo Beyerlingius l. 4. polyanth. voce dæmon, p. 2. notant, *quod dæmones ex Adamo & aliâ uxore, quam ante Euam habuerit, nomine Lillis, cum quâ 130. annos vixerit, geniti sint. Sic omninò corporei illi forent. Vtramq́ sententiam falsam esse patet* 1. Quia Scriptura *apertè Spiritus vocat*, V. t. 7. *Non eo sensu, quo & aer & ventus Spiritus vocantur, ob corporum subtilitatem, Vt* Vorstius c. l. *regerit: sed ut carni & sanguini, adeoq́ corporibus opponitur*, Luc. 24. v. 39. Ephe. 6. v. 12. *& ut Spiritus ad definitionem angelorum pertineat*. Heb. 1. v 14. *Quomodo Voces æquivoci sensus non sunt de definitione rei, qualis est Spiritus de äere & vento usurpatus. Oportet ergò Spiritus propriè dictos, & sic planè incorporeos esse. Spiritus enim est opposita Corporis substantia, t. 10. Non ergò propriè Corpus*. 2. Si Corpora sunt, vel similaria vel dissimilaria sunt. Non illa, *quia non apta ad tam varias operationes, quas angeli obeunt, ad quas organorum apparatu opus est, per qua operationes exserantur. Sic n. & ad operationes materiales sine organorum varietate Corpus concurrere non potest*. Nec hæc, *quia sic ex diversis & contrarijs rebus angelus esset compositus, & sic naturâ corruptibilis esset, adeoq́ vilior animâ ra-*

tionali esset, quæ incorruptibilis, quod absurdum. 3. Quia cælos, lapides, ianuas, ædificia, & alia solida penetrare possunt, ut ex historiâ Evangelicâ patet. Luc. 24. v. 37. 39. Act. 12. v. 7. *Sed Corpus non potest penetrare corpus ob molem & quantitatem, Vt etiam constat. Ergò non corpora esse oportet angelos.* 4. Quia multa millia angelorum in uno Corpore esse *possunt, ut legio integra, quæ 6500. constat.* Marc. 5. v. 9. Luc. 8. v. 30. *Hoc etiam impossibile, si angeli corpora. Moles enim corporea tanti numeri copiam cum alio copore non permittit.* 5. Si angeli adæquatè corporei, *essent inferioris ordinis, quàm Homo. Hic enim ex parte saltem anima incorporeus. At naturâ superioris ordinis homine sunt. Non ergò totaliter corporei.* 6. Anima *rationalis totaliter est Spiritus, Vt passim vocatur.* Eccles. 12. v. 7. 1. Cor. 5. v. 5. Hebr. 4. v. 12. C. 12. v. 23. Iac. 2. v. 26. E. *multò magis angelus, qui superioris animâ ordinis.*

12. Dices 1. Multi Patres corpora illis tribuunt. R. *Patres sunt lumina, non numina, Vt alibi dictum Nec authoritates eorum sunt irrefragabiles. Scriptura Spiritus appellat,* t. 7. Deinde *sæpè corpus pro re verâ & subsistente sumunt, & umbræ, speciei, apparentiæ & phantasmati opponunt. Quomodo* Tertullianus *Deum corpus vocat c.* Praxeam. *& σῶμα Græcis personam interdum notat,* Gen. 34. & 36. Tob. 10. v. 10. *Sic σώματα πολλὰ τρέφειν, corpora pascere multa, i.e. servos & personas humanas:* Sæpè *Corpus vocant respectu DEi, qui longè superiore modo immaterialis, quomodo omne compositum & mutabile corpus dicitur:* Sæpè *corpus accidentaliter ad tempus assumptum intelligunt, non angelo essentialiter proprium, sæpè aliter, obiter, & παχυλῶς loquuntur.* 2. Si nulla ipsis Corpora, vix illis certus conceptus datur. *R. Difficilis hic, quia*

imma-

immaterialia nonnisi per ordinem ad materialia intelligimus, ac quicquid non ullo modo in sensu nostro, vix in intellectu est, Tr. d. Not. Nat. C. 1. t. 17. C. 2. t. 16. *& naturaliter ad immaterialia intelligenda instar nycticoracis ad lumen coecutimus.* Arist. 2. Meta. c. 1. Scaliger ex. 359. s. 5. *Hactenus tamen verus est, quod spiritus materiæ expertes concipiantur & reverà sint.* 3. Diaboli torquentur ab igni materiali in inferno, vt communiter sentitur. At hoc impossibile, nisi *corpora habeant. Nec enim Spiritus nudus â Corpore patitur.* R. Naturaliter *non patitur. Sed ista tortura* præter & supernaturalis *est, ac extraordinariâ potestate & dispositione DEi incussa & destinata. Quomodo Spiritum â Corpore pati possibile est.* 4. Jidem pelluntur fumo iecoris. Ligantur etiam catenis in loca dissita. Tob. 6. v. 2. 3. Apoc. 20. v. 2. R. *Prius* Rabbinicum ac Thalmudicum *est, nec liber iste in dubijs authoritatem meretur.* Posterius *mysticum & spiritualis significati est, non proprium & corporeum. Quomodo pleraq; istius libri allegoricè intelligenda.* 5. Delectantur rebus corporeis, Vt ex Gen. 6. v. 2. & 1. Sam. 16. v. 23. 2. Reg. 3. v. 15. *patet. Ac Musicâ etiam dæmones fugari dicitur.* R. *Locus* Gen. 6. *alienus est, nec angeli ibi intelliguntur,* t. 75. *Cætera delectari corporeis tradunt, non per se, quod impossibile, Quomodo nec Cælum immediatè in animam hominis agit, quod Spiritus illa, ut alibi docetur: sed quà in hominibus sensu materiali præditi sunt, quorum naturæ corporeis variè affici & commoveri possunt. Sic in Saule & Elisæo fuit: Vel quà corporea spiritualium rerum interdum signa ac indicia sunt. Sic sancti Angeli pijs concionibus delectantur, quia pietatis indicia in animo sunt. Musicâ dæmones fugantur,*

tur, quà pia cantio & oratio Musicæ juncta sensus sui ratione pellere eos constat.

13. *Cum spirituales substantias esse certum sit*, materia & forma constare, aut ex illis compositi esse & compositione Physicâ tum essentiali ex essentialibus corporis principiis, tũ integrali & partibus quantitatiuis materiam integrantibus constare nequeunt. *Hæc enim materialitatem, Corporeitatem, quantitatem materialem, magnitudinem, partes quantitatiuas, & molem important, quibus omnibus angeli destituuntur.* Ad tempus eos corpora & molem assumere, *& operationes quasdam in eis exercere posse certum est.* V. t. 44. Sic *Verbum, quod DEus & Spiritus est, sibi carnem adaptavit*, Ioh. 1. Hebr. 1. *Vt tamen essentia DEi intrinsecè non facta fuerit composita aut corporea, & si persona Christi post incarnationem ex DEo & homine constituta & composita sit. Vnde nec formam propriè habent, sed sunt ipsæ formæ meræ*, Quomodo immaterialia & accidentia *ipsæ formæ ultimæ sunt, non alias formas habent. Cum autem* compositio *præter eam, quæ ex materiâ & formâ est, varia sit, Vt in* Metaphysicis *docetur, etiam in angelis locum habere potest, ut penitus & omnimodè simplex solus DEus relinquatur.* Compositi *ergò dici possunt* ex esse & existere, essentiâ & existentiâ, *Vt essentia sit principium naturæ, existentia subsistentiæ eorum, essentia Vniversale esse, existentia singulare suppeditet. Essentia ut sic ab actuali & potentiali abstrahi possit, non enim sunt purissimi actus & entia per essentiam, sed per dependentiam & participationem, ac fuit aliquando, cum non fuerunt, ut ante Creationem*, t. 17. 18. *Existentia ultimam extra causas actualitatem sufficiat.* 2. Ex naturâ singulari & personalitate ultimo modo singularitatis naturæ superje-

cto, *quo ultimatè subsistere, non alteri instar accidentis aut partis inexistere intelligantur* 3. Ex naturâ specificâ, *spirituali completa, & differentia individuante, quâ hæc a. illa natura in singulari fit, quas duas compositiones* Thomas q. 3. a. 3. & q. 50. a. 4. *negare videtur.* 4. Ex genere & differentiâ. *Sic substantia spiritualis genus, completa, differentia angeli est, quâ ab animâ rationali secernitur. Negat hoc quidem* Durandus 2. sent. d. 3. q. 1. *Sed absq; ratione. Si genus materiam, differentiam formam analogicè voces, quia ad hæc similitudinem obtinet, ita hoc modo & ex materia ac formâ compositi dicantur.* 5. Ex actu & potestate. *Sic intellectus & voluntas potestates in angelo sunt, intellectio & volitio actus.* 6. Ex subjecto & accidente. *Aliud in illis substantia, subjectum, aliud accidentia, ut Sanctitas, bonitas, integritas. Sic Diabolus mansit substantia spiritualis, bonitatem moralem lapsu perdidit.*

14. Dicuntur 3. substantiæ finitæ. Finitum est, quod fines essendi, adessendi & operandi habet. *Angeli sunt ita finiti, quia non infiniti, hoc enim unicum tantum est, Deus, & plura esse repugnat, Nullum enim verè infinitum esset.* Vel enim *alterum finiret alterum, & sic unum tantum verè infinitum maneret;* vel non finiret, *& sic neutrum infinitum esset, hoc enim omnia alia à se finire & constringere debet, ut præter se nihil in infinitum abeat: Et quia essendo finiti, etiam adessendo & operando tales sunt, adeoq; nec in infinitis spatijs esse, nec infinitè operari possunt,* Vt t. 44. *pluribus patebit.* Sunt finiti entitativè, *quia dependentes à DEo:* attributivè, *quia perfectiones finitas habent:* ubicativè, *quia spatium finitum requirunt, non infinitum, & præsentiæ terminos admittunt:* Durativè, *quia initium habent, & si fine careant:* Et operativè, *quia vim agendi limitatam*

tatam & determinatam ad objectum & materiam certam ac habilem habens. 4. Completæ. Spiritus creatus alius completus, alius incompletus, *t.73. Angeli Spiritus completi sunt, quia essentialiter & ex naturâ sui non ad alterius completionem essentialem ordinati sunt, ut tanquam formæ substantiales materiam sibi subordinatam essentialiter perficiant, eoq́ ordinem essentialem dicant, ac inclinationem naturalem habeant,* quomodo *forma materiam essentialiter perficit, eoq́ aptitudinem & inclinationem naturalem habet.* Nihil horum angeli faciunt, *sed absolutè ad suam speciem constituendam sunt ordinati, eoq́ modo subsistunt. Cum corpora assumunt, eaq́ ad tempus informant, in quibus apparent, non illa ipsis sunt essentialia, sed extrinsecùs adventitia & assumpta.* Ex finitate & completione sequitur 1 Impuritas actus angelici, *quà non purissimi actus esse intelliguntur, sed aliquid potentialitatis admistum habere, quomodo potuerunt non esse ante esse, & de facto non fuerunt, antequam facti sunt, ac potuerunt aliquando non esse, Si Deus influxum conservantem inhibeat, in quo universa sunt & vivunt.* Act. 17. v. 28. *Ipsosq́ in nihilum redigat. Vnde & certo modo compositi dici possunt.*

15. *2.* Corruptibilitas, *non Physica quidem, quà per corruptionem Physicam aliquid destruitur, sic enim propriè corrumpi dicitur, Cujus aliquid remanet, sicut illud propriè generari dicitur, Cujus aliquid præexistit, ut in sublunarium generatione præexistit materia, & post corruptionem manet, sic angeli prorsus sunt incorruptibiles, quia materiæ expertes:* Sed analogica & generalis, quà *quocunq́ modo aliquid desinit, sive per corruptionem Physicam, sive per annihilationem. Ita angeli ut naturâ suâ tales sunt, ut incipere per creationem potuerint: Sic & tales, qui*

per annihilationem deficere possint. Creabiles enim fuerunt à Deo, ita & ab eodem annihilabiles. Hoc modo omnis creatura respectu Dei est corruptibilis & mortalis, solus Deus incorruptibilis & immortalis, 1. Tim. 6. v. 16. *Quia solus per nullam potentiam desinere potest. Et ita* Patres interdùm *angelos & animas humanas* non naturâ, sed gratiâ immortales *aiunt, quia absolutè naturâ sui sunt corruptibiles potentiæ divinæ, & si à creatâ potentiâ destrui non possint, cum aliter, quàm per annihilationem destrui nequeant, quæ potestatis infinita tantùm est, non finitæ.* 3. Prædicamentalitas, *quà certo prædicamento constringi possunt. Omne n. reale finitum & completum est prædicamentale, ut inductio docet. Angeli finiti & completi. Ergò. Deinde compositi sunt ex genere & differentia* t. 13. *At hæc compositio propria est prædicamentalium rerum. Substant etiam accidentibus,* Vt t. 23. *patebit. At hoc substantiis prædicamentalibus competit. Quare in prædicamento substantiæ omninò erunt. Negarunt eos prædicamentales ex antiquioribus* Albertus M. Aegidius Romanus, Plotinus ap. Fonsec. 5. Met. q. 4. s. 1. Ex Neotericis Zabarella l. 2. d. mat. pri. c. 17. 18. Crellius l. 1. par. Comm. c. d. subst. Hospinian. in Contr. Dial. c. 9. aliiq; *Oppositum rectius communiter tenetur.*

16. Dices 1. Corruptibile & incorruptibile non conveniunt genere, sed differunt, 10. Meta c. 10. *Angeli incorruptibiles, Corpora corruptibilia. R. Antecedens de* genere Physico & eadem specie Physica *valet, non Logico, quale prædicamentum, in quâ specie diversissima simul collocantur.* 2. Si prædicamentales, *maximè in substantia. At non, Nec enim substantiæ primæ sunt, nam hæ singularia sensibilia, Vt Plato, Socrates,*

tes, Angeli autem insensibiles : Nec secundæ, *hæ enim notiones secundæ & entia rationis tantùm, ut genera & species, at angeli notiones primæ & entia realia. R. Substantiæ primæ singulariæ sensibilia sunt, sed non tantùm, sed & insensibilia, ut Spiritus creati, animæ humanæ. Sensibilia adduxit* Aristoteles, *quia vulgò notiora & communiora, non quod ea tantùm prædicamentalia duxerit. Sic & substantiæ secundæ in angelis.* Vel *enim ipsi species sunt, & individua sub se habent:* Vel *diversa eorum species, & sic genus ad inferiora sua angelus est, Vt quidam volunt.* V. t. 55.56. 3. Substantia prædicamentalis suscipit contraria. *Angelus non, quia hoc corruptibilium proprium.* R. Non solorum *corruptibilium id proprium, sed & incorruptibilia suscipiunt contraria. Sic angeli volunt & nolunt, amant & oderunt, prosequuntur & aversantur, lætantur & tristantur spiritualiter, moventur & quiescunt, mutant ubi & retinent.* 4. Substantia communis corporeis & incorporeis vel composita erit, *sic omnes substantiæ prædicamentales compositæ,* vel simplex, *sic omnes simplices, vel neutra, sic nec corporea & nec incorporea erunt, quod impossibile. E. substantia non utrumq; genus simul comprehendit. R. Substantia generalis totalis,* ad simplex & compositum est indifferens, *& ex proprio suo esse nec simplex nec composita, nec corporea nec incorporea est. Hoc modo in utroq; esse, & utrumq; complecti nihil absurdi est. Vt ad res ipsas, quas infra se habet, limitatur, Sic & simplex, quà re cum simplice eadem est, & composita, quà cum hac eadem est.*

17. Dicuntur 5. Intellectu & voluntate præditæ. De hoc t. 23. seq. *patebit.* 6. A DEo principio creationis sanctæ & bonæ creatæ. *Circa hoc aliqua quæruntur, ut melius in-*

telligatur. 1. An creati sint angeli, an verò æterni? *Qui mundum æternum somniarunt, ut* Aristoteles, Plotinus, Porphyrius, *etiam angelos æternos esse dixerunt, adeoq; in tempore aliquo creatos esse vix agnoverunt. Et* Aristot. *mens ex* 12 Metaphy. c. 6. *manifesta est, ubi ex motus æternitate Intelligentias æternas facit.* Alij tamen *creationem eum agnovisse putant, Vt* Tract. d. Notit. Natur: c. I. t. 18. *dictum. Contrarium patet.* 1. Scripturâ, Psal. 104. v. 4. Hebr. 1. v. 7. Colos. 1. v. 16. Nec Psal. 104. *de meteororum aëriorum & ignitorum ministerio, quo DEus utatur, sermo est, ut* R. Salomon & AbenEzra *regerunt: Sed de angelis, Melachim, quomodo meteora in sacris vocari non ostendetur: & nonnullos versus de creatione rerum, non usurpatione loqui* v. 5. 6. 8. 9. *palam est, ac quod ad* 4. *versum attinet, ex allegatione* Heb. 1. *patet, ubi de angelis allegatur, non meteoris. Et ante mundum ac montes fuisse descriptionem æternitatis habet, soliq; DEo tribitur.* Job. 38. v. 4. seq. Psal. 90. v. 3. 2. Naturâ. Angeli sunt finiti & dependentes. *E. ab alio originem habent, non â seipsis sunt. Aliter autem ac per creationem esse non possunt, & in rebus finitis nihil est causa sui ipsius, sed quicquid est, ab alio est. E. & angeli ab alio, & sic creati. Generati n. esse nequeunt.* Dices 1. Angeli semper vident faciem Patris sui, Matt. 18. v. 10. E. *ab æterno. R.* Semper hic *continuationis ab eo tempore est, quo videre ceperunt, Vt nunquam desinant faciem istam videre: non infinitæ & principio carentis durationis. Sic Diabolus semper nequam, â principio nempè apostasias suæ, non infinitâ duratione.* 2. Sic DEus diu angelorum laudibus caruisset, *& sic non plenè beatus fuisset. R. DEus nullo indiget,* Act. 17. v. 25. *Eoq; in seipso totus beatus est. Laudes aliorum extra se liberè recipit, non ex indi-*

indigentiâ, eoq́; & creavit. Laus, honor, fama, externa bona sunt. Spiritualis beatitudo in internis consistit. 3. Creator ab æterno est. E. quasdam creaturas ab æterno esse oportet. *Relata enim sunt. E maximè spirituales Creaturæ ab æterno. R. Creator ab æterno est, sed* non sub formali Creatoris, sed DEi absolutè. *Vnde creaturam ab æterno esse non sequitur. Et creator ac Creatura relata suut, sed transcendentalia, non prædicamentalia, quæ tempore simul esse non coguntur. Sic necessarium contingens respicit, illud tamen æternum, hoc temporarium.*

18. 2. Si creati angeli, an & ab æterno creari potuerint? *Hoc multis Philosophorum probabile videtur.* V. Scheibl. 2. Meta. c. 3. n. 641. c. 4. t. 65. Kesler. Phys. Phot. s. 1. pr. 1. Calovium c. 7. Metaph. aliosq́;. *Multis autem penitus incredibile videtur, Vt* Gandauensi, *P*hilopono, Alberto M. & huc *plæriq́; Theologorum inclinant,* Vt Tract d. multipræs. t 79. addux. Si possibilis est creatio ab æterno, *maximè in spirituali substantiâ probabilis est, in ea enim non tot obstacula æternæ durationis, ac in Corporeâ. Et sic solo naturæ ac rationis lumine non satis certò deprehenditur, angelum in certo temporis principio conditum, & non ab æterno, cum Creatori coæternum eum esse per rationem nec ex parte DEi, nec rei, nec modi agendi aut recipiendi repugnantia aliqua hic innoluatur; & si conditum esse satis certò indè eruatur:* sed Scripturæ tamen lumine in *certo tempore & mundi initio eum conditum esse innotescit, non enim aliud rerum creatarum initium illa ponit, & æternitatem de facto omnibus Creaturis abscindit, soli DEo tribuit, ut ante visu.* 3. Quo Creationis die creati fuerint? *Ex Scripturis id vix satis liquet.* Hieronymus, Nazianzenus, Basilius, Nicetas, Damascenus, Clemens, Ambrosius, Hilarius, alyq; *dudum ante mun-*

te mundum creatos fuisse, Deumq; celebrasse statuunt. Augustinus eo *die, quo lux condita.* Beda ante *omnes angelos Diabolum conditum ex* Iob. 40. v. 14. putat. Hebræi & Rabbini *secundo die conditos dicunt, Vt de illis* Reuchlinius *testatur.* Alij *tertio putant, quod tum Cælum, domicilium eorum, absolutum & exornatum fuerit.* Gennadius, Rupertus, & Achatius *post mundum Corporeum creatos putant, Vt Author catenæ de illis tradit, Quos sequitur* Scharpius T.1.Curs.Teol. d.angelis, q.1. *Quod ordo creationis à visibilib. ad inuisibilia, & minus præstantibus ad præstantiora processerit.* Alij ἐπέχειν *hic arripiunt, Vt* Origenes, Brochmandus, Gerhardus, Dænæus, Chemnitius, Forsterus, alijq;. *Probabile est, in ipso mundi initio statim conditos esse.* Hoc enim *simplicitati & dignitati naturæ ipsorum convenit, quæ tota immaterialis, simplex, spiritualis, ac simplicia ante composita in serie creationis creata esse ordo rerum succedentium, lucis, Cæli, terræ, astrorum, quæ simpliciora animalibus, quæ ultimis diebus creata,* Gen. 1. v. 20. *docet: Et à scriptura insinuatur, cum eos jubilasse tradit, quando terræ fundamenta jacta sunt,* Iob. 38. v. 4. 7. *Quæ primo die jacta. Ac nomine Cæli* v. 1. Gen. c 1. & *exercitus cælestis,* c. 2. v. 1. *& ipsi comprehensi videntur, cum & naturâ cælestes Spiritus sint, & Cælum domicilium ipsis proprium esse debuerit, & in sacris nomine astrorum & stellarum interdum veniant,* Iudic. 5. v. 20. Iob. 38. v. 7. *Quæ cælorum propria: & exercitus in ijsdem appellentur,* Gen. 32. v. 2. 2. Reg. 6. v. 17. Psal. 103. v. 21. Psal. 148. v. 2. Luc. 2. v. 13. Dices: DEus promisisse dicitur vitam æternam ante tempora secularia, Tit. 1. v. 2. E. *ad minimum angelos ante mundum fuisse oportuit, quibus eam promitteret. R.* Vel *promissio idem ac propositum est,* 2. Tim. 1. v. 9. & sic *ante omne tempus*

& crea-

& creaturam ab æterno in DEo fuit: vel tempora secularia *notant illorum temporum, quibus DEus gratiam Evangelicam in paradiso promittere cepit,* Gen. 3. v. 15. *usq; ad tempora Apostoli, quibus ista scribebat, decursum, & sic tempora hominum intelliguntur, non Angelorum.*

19. 4. An â DEo ipso, an quidam â superioribus angelis creati? Valentiniani *triginta æones S. spirituales substantias finxerunt, quarum aliæ ab alijs progenitæ essent,* ap. Irenæum l. 1. c. hær. c. 1. Basilidiani & Saturniliani *simile quid delirârunt ap.* Epiphanium l. 1. T. 2. hæres. 23. *Sed Scriptura DEo hoc adscribit,* Psal. 104. Heb. 1. Colos. 1. v. 16. *Nuspiam angelis aut spiritualibus substantijs. Nec vim creandi cum creaturis Deus communicat, semper sibi soli reseruat, in eoq; â Creaturis se distinguit.* V. Natalit. t. 13. *Et omne Ens reale, quod Deus non est, â DEo productum esse oportet, vel comproductum, ut accidentia, cum aliud quid hic dari nequeat. Præterea angeli sunt substantiæ spirituales, non corporales, t. 11. Non ergò generatione se producere possunt, quæ est corporum & in corporibus. Sed nec creatione, quia creandi virtutem DEus sibi soli retinet, ut* ante dictum. *Præter has nulla alia in substantijs completis producendi ratio. De animâ rationali secus quid esse apparet, quæ propagatur,* Vt dec. 2. Misc. d. 3. *ostensum. Sed ea spiritus prorsus incompletus & naturâ sui ad informationem alterius ordinatus est, non completus, qui vel generando vel creando producendus.* 5. Cur Moses nihil de creatione eorum in C. 1. Gen. meminerit? *Vulgò ob inclinationem Iudæorum ad Idololatriam id factum dicitur ex* Athanasio qu. ad Antioch. q. 5. & Chrysostomo ac Theodoreto in Genesin, ne *inde occasionem pro Dijs ipsos colendi arriperent Iudæi. Sed nec* Athanasij iste *liber est, ut* Tract. d. multipræs.

t.60. docui, nec responsio sufficit. Ob eam enim rationem magis exprimere creationem eorum conveniens fuisset, quàm subticere, ut expressâ Creationis descriptione, Creaturas, non Creatores, & ministros, non DEos eos esse constaret, adeoq; divino cultu minimè afficiendos esse colligeretur. Et si ob idololatriam reticuisset, & Cherubini ad Paradisum appositionem, Gen. 3. v. 24. Et angeli Hagaro apparitionem, C. 16. v. 7. & alias angelorum apparitiones c. 18. 19. 32. omisisset, par enim idololatriæ in omnibus illis timendum periculum. Imò nec Creationis Solis, Lunæ, & astrorum, mentionem fecisset, nam & hæc ad idololatriam à Iudæis tracta fuisse certum est, 2. Reg. 21. v. 3. Rectius ideo omissam dicitur, quia rudi & imperito populo scribebat, cui visibilium creaturarum creationem & aspectabilis mundi originem proposuisse satis visum fuit, & cuius intellectum difficulter ad immaterialia percipienda determinare erat, eoq; eorum mentione aut creationis descriptione specialiter detinendus non erat.

20. 6 Quo in loco conditi? Vulgò in Cælo empyreo factum putant, ut Thomas, C. à Lapide, Scholastici pleriq; Alij quosdam in Cælo, nonnullos in terrâ creatos putant, ut refert Augustin. l. 11. d. Gen. ad lit. c. 17. Alij extra cælum productos censent, ex Esa. 14. v. 13. Incertum totum hoc est, nec certi quid ex Scripturâ hic colligitur. Cum angeli conditi, nec cælum nec terra distincta fuerunt, sed in chao communi confusa. Primo enim statim die creati, t. 18. In neutro ergò nec cælo nec terrâ, propriè creati dici possunt. Cum cælum paratum fuit, angeli iam creati fuerunt, & in illud domicilium suum collocati, quod secundo die factum, Gen. 1. v. 6. Locus Esa. 14. literali sensu non de angelis, sed Rege Babylonico loquitur, v. 4. nec per in cælum ascendere cælum materiale & empyreum, sed summæ ac divinæ eminentia

tiæ & sublimitatis affectatio intelligitur. v. 14. Dices: Angeli mali sunt cælo eiecti, in quo *peccaverunt, Vt communiter sentitur. E. & in eo creati.* R. Non sequitur. *Et Adamus paradiso eiectus, & in illo peccavit. Non tamen in illo creatus, sed extra illum.* Gen. 2. v. 7. 8. 15. 7. An ad imaginem DEi creati fuerint? Negat Brigtus in Phys. Scribon. t. 16. *quod de solo homine id affirmetur. Et Scriptura quidem quoad verba ita de angelis non loquitur, sed de solo homine talia usurpat: Proponit tamen aliqua, undè non obscurè illud colligatur. Imago n. DEi fuit in sapientiâ, justitiâ, & sanctitate,* Ephes. 4. v. 24. *At illa angelis competunt. Sunt enim sapientes creati,* 2. Sam. 14. v. 17. 20. C. 19. v. 27. *Iusti & Sancti,* Job. 15. v. 15. Psal. 89. v. 8. Dan. 4. v. 10. 14. 20. C. 8. v. 13. Zacch. 14. v. 5. Matt. 25. v. 31 Iudæ. v. 14. Et *in vita altera Christus nos angelis similes futuros dicit,* Matt. 22. v. 30. *At tùm imago DEi plenè nobis restaurabitur. Et de eâ ergò aliquid angelos participare necessum est, Vt in illâ istis similes in futurâ vitâ esse debeamus.* Prout tamen imago Dei *secundariò pro dominio in bestias sumitur, vel illud simul includere intelligitur, Ita ad eam conditi esse dici non possunt. Ordinarium enim eorum officium in ministrando, non dominando est.* Hebr. 1. *Etsi aliàs magnâ potestate præditi sint. Quæ* Scholastici *ulterius de gratiâ hac, in qua creati angeli, tricantur,* Vt, An per proprium actum ad eam se disposuerint, an juxta quantitatem suorum naturalium eam acceperint, an ex meritis Christi eam adepti, an ex solâ DEI voluntate ac liberalitate, an tantùm gratiam habitualem acceperint, an & actualem, an & fidem supernaturalem *cum gratiâ acceperint,* an & gloriam *in primo instanti acceperint,* an immediatè *post primum instans eam consecuti,* Quantum *mora inter Cre-*

ationem & glorificationem eorum intercesserit, quantam *gloriam nacti fuerint*, quomodo *ad eam prædestinati sint, & quæ similia sunt, omnia* curiosa sunt, *ac è Scripturis parum certitudinis interdum habent, sed humanæ vanitati latam portam aperiunt, eoq; tutiùs prætereuntur, quàm moventur, inquiruntur, disceptantur, aut deciduntur.*

21. 8. An omnes angeli simul creati? Omninò. *Cum post primam rerum creationem Deum novas species aut individua creasse nusquam legatur, nec angeli, ut immateriales substantiæ, ad generationem productæ sint, ut generando se propagare debeant. Nec ratio ulla fuit, cur primò aliqvos, postea alia vice iterùm aliquos crearet.* 9. An omnes æquales creati? *Essentiâ & qualitatibus Essentialibus ac integritate concreata, bonitate, sanctitate & justitiâ omnes æquales fuerunt: Ordine inæquales conditos esse probabile est. Scriptura enim varios angelorum ordines exprimit,* t. 54. *Quos â principio Creationis inter illos fuisse credibile.* V. Colos. 1. v. 16. *Nec confusionis DEus est author, sed ordinis.* Manichæi olim & Priscillianistæ *non omnes bonos creatos dixerunt, sed Diabolum sustantialiter malum & omnis mali principium, ipsumq; sui authorem esse asseruerunt. Sed omnia â DEo creata valdè bona fuerunt,* Gen. 1. v. 31. 1. Tim. 4. v. 4. *Et Diabolus in veritate non stetit,* Iohan. 8. v. 44 *Nec principium suum servavit,* Iudæ v. 6. *Bonum ergò & verum creatum esse oportuit. Et peccarunt quidam angeli,* 2. Pet. 2. v. 4. *Ante peccatum ergò sine peccato fuerunt, & sic justi creati sunt. Nec â primo bono aliquid essentialiter malum creatum esse conveniens est, Vt in* Metaphysicis *docetur. Quomodo prima & essentialis Sanctitas peccati causa esse non potest.* 10. An Sanctitas & justitia donum ipsis naturale, an supernaturale fuerit? Naturale,

rale, *naturam enim perfecit, naturæ eorum, prout ea creata fuit, debitum fuit, & à primo creationis puncto à Deo ipsis concreatum fuit, ac ex intentione DEI perpetuò naturæ ipsorum inhærere debuit.* Non autem quòd *intrinsecè naturam eorum constituerit, aut ex intrinsecis naturæ principijs fluxerit, aut si adimatur angelis vel perdatur, naturam angeli prorsùs destrui necessum sit. Sic n. in angelis malis justitia & Sanctitas perdita, essentia angelica & attributa essentialia, intellectus, voluntas, incorruptibilitas, & similia, manserunt. Sic in primo homine integro justitia certo modo naturalis fuit, ut contra* Papistas quosdam *alibi ostenditur: Magis essentiæ angelicæ eam naturalem fuisse consentaneum est.* Et falsum est, *quod quidam* Scholosticorum *docent, angelos in puris naturalibus creatos esse, postea quosdam gratiam ob bonum liberi arbitrij usum, alios non ob malum ejusdem usum accepisse,* Vt Hugo, Victorinus, Richardus, Bonaventura, Marsilius. Si *enim homo rectus creatus,* Eccles. 7. v. 30. *Multò magis angeli, superioris ordinis substantiæ, quàm homo. Sancti & justi creati fuerunt,* Sed cum libertate & potentiâ peccandi. *Vnde quidam perstiterunt in sanctitate, alij ab eâ defecerunt,* Joh. 8. v. 24. Judæ v. 6. *Naturalis quidem fuit integritas; Sed tamen mutabilis. In bonis ita jam ea confirmata est, Vt peccare ampliùs & desciscere ab ea non possint.* V. t. 59. *Et status iste purorum naturalium magis cogitatur, quàm facto datur, aut unquam in mundo datus fuit.*

22. Ita de Creatione angelorum. *Vltimò in definitione dicitur,* DEI gloriæ illustrandæ & ministerio DEI ac hominum destinati esse. *Quomodo DEi gloriam illustrent, ex* Psal. 103. v. 20. 21. Psalm. 148. v. 2. Prov. 16. v. 4. Tob. 12. v. 8.

Luc.

Luc.2.v.13.14. alijsq; locis patet. *Quomodo ministerio DEI ac hominum destinati sint*, t. 61. *patebit.*

23. Sic definitio angeli *discussa, & quæ ex eâ consequuntur, ventilata: Sequuntur* atttributa, quæ sunt perfectiones finitæ angelis â posteriori competentes, quibus natura eorum ulterius perficitur, determinatur, & denominatur. *Prout attributi definitio se habere solet*, Vt tr. d. ess. alic. s. 1. t. 10. visum. *Suntq́;* intellectus, eumq; sequens memoria intellectiva, Voluntas, Libertas, Actiuitas, Aeuiternitas, Aliculitas, Pluralitas, & diversitas. Intellectus est attributum angelicum, quo omne cognoscibile, primarium & secundarium, spiritualiter & perfectè contuetur. *Eius actus est intellectio. De hoc quæritur* 1. An cum cœteris attributis verum & prædicamentale accidens sit realiter ab essentia angelicâ diversum, an potius quoad rem ipsa essentia angelica? *Prius* Thomas & Thomistæ pleriq;, Lutheranorum *etiam pleriq́;, Posterius* Scotus & Scotistæ, Nominales, Vt Durandus, Ariminensis, Occamus, Ex Lutheranis Gerhardus, Hutterus, Weberus, Schröderus, Scheckius, Gutkius, Magirus, Bartholinus, alijq; *assumunt, Vt latius* Dec. 1. Misc. d. 4. t. 13. *in generali potentiæ discussione docui.* Prius probabilius *ex actus angelici, intellectionis & volitionis, ad genus generalissimum, quod accidens, proportione, spiritus creati ex Substantiâ & accidente compositione*, t. 13. *Actualitatis in ipso impuritate, essentiæ angelicæ ex se ad intelligendum aut volendum indifferentia, & per consequens ad alterum per reale aliquod accidens ab ipsâ essentiâ diversum eiq́; superadditum determinatione, quotidianâ intellectus & voluntatis per obiecta perfectione & mutatione, cum essentia ipsa angeli imperfectibilis sit, animæ humanæ ana-*

næ analogia, in quâ vis intelligendi & volendi realiter ab essentiâ differt, & similibus rationibus evadit, quæ probabiliter hic induci possunt, & plenius c. I. *deducta sunt. Et quod de intellectu ac voluntate hic asseritur, consequenter & de cæteris attributis angelorum affirmari debet, quod* realiter ab essentiâ angeli differant. Dices: Angeli dicuntur mentes & Intelligentiæ. E. *totum eorum esse intellectum ipsum esse oportet. R. Dicuntur ita liberâ appellatione, non quòd esse necessariò intellectus sit, sed quòd tota eorum cognitio tantùm intellectiva sit, non ex parte sensitiva, Vt in homine & animâ rationali: Et quia cognitio in angelis longè perfectior, intimior & accuratior est, ac in homine, Cuius intellectio per organa Corporis variè impediri & infuscari potest. Vnde quando spiritus cerebri sunt confusi aut inordinatè affecti, etiam intellectio humana confusa & inordinata fit.*

24. 2. An ad intelligendum speciebus intelligibilibus opus habeat? *Negant* Durandus, Gabriel, Occam, Bassolis, Ariminensis, Nominales, & *fermè* Vasquetz aliiq;. *Contrarium* Thomistæ *eligunt, & probabilius.* Partim, *quia cognitio humana fit per species, ad quam analogiam angelica habet, tanquam cognitio finita ad finitam:* Partìm, *quia si sine illis intelligeret, omnia in suâ essentiâ vel formaliter vel eminenter angelus contineret. At hoc infiniti entis, ut DEi, proprium est, omnes perfectiones & ideas in substantiâ propriâ habere, nihil aliundè accipere, Et sic omnia per essentiam suam intueri, ut DEus. Angeli autem intellectus finitus est, & proportionem intelligendi finitam obtinet: Hæc autem magis per spicies ab objectis acceptas, quàm sine illis fit:* Partìm quia *sine illis non posset objectum â se distans & absens repræsentare & cognoscere, hoc enim sine specie objectum intellectui sistente cognosci nequit. Cum enim res ipsa*

per

per substantiam absens est,per speciem intellectus ad cognoscendum repræsentatur, & cognoscibile potentiæ cognoscenti unitur, sicq; intellectio fit. Vnde ex objecto & potentia oriri notitiam aiunt Phlosophi, *Et in anima humanâ patet. At sic cognitio angelica inferior & incompletior humanæ esset, Cum dissita & absentia intelligere non posset. At hoc inconueniens est.* 3. An prorsus nihil sine specie intelligat? *Aliqua sine specie jntelligere potest, prout & anima humana separata. Vt* 1. Substantiam propriam, *& quæ ex eâ naturaliter manant. Hanc angelus intelligit per essentiam, non per speciem,quia obiectum per seipsum jntimè præsens intellectui est, Vt specie vicem obiecti jmplente non jndigeat. Species enim jdeo datur,*Vel *ut obiectum actu intelligibile faciat, Vt cum est materiale,* Vel *ut illud cum potentiâ uniat.* Neutrum *hic necessarium est. Ita anima separata similiter seipsam per substantiam considerat, etsi conjuncta corpori non nisi per effectus & abstractiuè se cognoscat. Non ergò id angelo negandum:Negârunt hoc angelo* Marsilius, *Et ex parte* Scotus, Major ac Bassolis. *Sed nulla ratione.* Suaretz d.35. Meta. f.4. n.18. etiam Henricum *addit. Sed eum ab istâ sententiâ defendit* Vasquetz d 204.c 2.2 Substantiam alterius angeli, quando ab invicem non distant. *Quia hic etiam objectũ actu est intelligibile,& sufficienter præsens intellectui. At ubi sic, specie ad intelligendum non opus est:* Dices: Hoc modo unus angelus per substantiam suam poterit illabi in intellectum alterius, eumq; movere, *quod soli DEo adscribi solet.* R. Solus DEus illabitur, *imperio ac dominio, ut pro arbitratu creaturam ad quamvis operationem mouere possit: Angelus a. solâ unione spirituali tanquam obiecti cognoscibilis ad intellectum cognoscentem illabitur, quod non inconveniens.* 3. Ipsam speciem intelligibilem. *Hæc enim non*

per

per aliam speciem cognoscitur, esset enim speciei species, & sic in infinitum procederetur, V. Scaligerum ex. 298. s.14. & 307. s. 13. Sed *per seipsum velut suam essentiam, cum nempe facto existit. Sic enim processus in infinitum commodissimè sistitur. Præteritas autem species per species ipsius rei præteritæ naturaliter congenitas intelligere videtur.* 4. Substantiam divinam. *Hæc enim quia immaterialis, sufficienter intellectui præsens & unita est, ut specie intelligibili pro eâ velut dissitâ & absente ad repræsentandum positâ opus non sit. Hanc etiam angelus per essentiam cognoscet, sed imperfectè ac inadæquatè, prout nullus intellectus finitus DEum exhaurire potest. Quidam in DEo, tanquam speculo superiore, omnia angelos cognoscere putant,* Vt Scaliger ex. 359. s. 11. Sed *hoc modo angeli omniscij essent, nullius rei ignari. In isto enim speculo omnia repræsentantur.*

25. 4. Unde species intelligibiles habeat intellectus angelicus, quibus cætera extra se & dissita cognoscat? *Vel à rebus spritualibus abstractas eas habet, ut* Scotus, vel à *DEo concreatas,* Vt Thomas, vel ex *rebus præteritis naturaliter interdum congenitas,* Vel *interdum extraordinariè in singularibus cognoscibilibus de novo revelatis à DEo impressas, ut* alij *volunt. Omnia enim hæc probabilia. Concreatæ species sunt rerum universalium: Abstractæ sunt à rebus singularibus sumptæ: Impressæ sunt à DEo peculiaris finis gratiâ inditæ. Sic Christum à Virgine Maria tum temporis concipiendum, idq; peculiariter per Gabrielem annunciandum esse, de novo Gabrieli impressum fuit,* Luc. 1. v. 26. 5. An naturaliter DEVM intellectus angelicus cognoscat? *Omninò. Nam humanus naturaliter id facit,* Psal. 19. Rom. 1. & 2. Act. 14. v. 17. *Vt latius contra* Photinianos *aliosq; negantes* Tract. d. Notitijs natural. c. 5. t. 2. seq.

bitur. Magis id de angelico, ut superioris ordinis, concedendum. Non quòd *ipsum comprehendat & exhauriat, quod de infinito ente nullus finitus intellectus facere potest:* Nec quod *Logice & adæquatè â priori eum definiat, sic enim nullus intellectus DEum definiet, nisi qui ipsius DEi Logicam, h.e. infinitam habuerit, quod nulli concessum:* sed quod *verè quidditatem & prædicata eius quidditativa & attributiva apprehendat & enuntiet. Et hic quoad apprahensionem, veram cognitionem, & qualemcunq́ assimilationem inter infinitum & finitum proportio esse potest, etsi quoad comprehensionem & commensurationem semper inter ea maneat disproportio. Et quidem per essentiam Deum cognoscere putatur angelus, non ut ea per modum speciei intelligibilis concurrit, nec per aliquam essentiæ speciem creatam, sed velut* per imaginem, similitudinem, ac medium cognitum. *Est n. angelus ipse velut imago ac speculum similitudinem divinam repræsentans. Vnde seipsum intuendo velut in speculo esse divinum contemplatur, Vt* Thomas & Thomistæ *docere solent. Nec hæc illis, quæ* t. 24. *dicta, verè contrariantur.* 6. An & supernaturaliter DEum cognoscat, prout se in verbo revelavit, Vt quod sit trinus, incarnatus, mediator hominum? *Omninò. Nam homini talis cognitio non negatur. Cur angelo denegetur? Sic Sathanas norat Christum filium DEi esse,* Matt. 8. v. 29. Marc. 5. v. 7. Act. 19. v. 15. Et à *DEo custodiendum esse,* Matt. 4. v. 6. *In bonis tamen angelis longè accuratiorem & distinctiorem hanc cognitionem ac malis esse, credibile est.* V. t. 70.

26. 7. An & mysteria gratiæ nondum facta naturaliter cognoscat, Vt incarnationem futuram, resurrectionem mortuorum, consummationem seculi? *Quod certò & reipsa futura sint, non potest naturaliter cognoscere, non enim â causis*

natura-

naturalibus, sed à liberâ DEi voluntate & decreto circa res futuras hæc pendent, quæ naturaliter angelus non cognoscit, nisi supernaturaliter revelentur. Sic non potest liberas alterius angeli cogitationes cognoscere, minus libera DEi decreta circa res futurar: Quod quædam possibilia DEo sint, *quæ tantum supernaturalia in modo producendi sunt, evidenter cognoscit. Vt resurrectionem mortuorum, illuminationem cæci, conservationem hominis in igne. Novit n. DEum Omnipotentem esse, & concursum inhibere, aut vices naturalium agentium supplere posse. Sed quæ* supernaturalia in termino *sunt, Vt incarnatio, gratia Evangelica, ea vix etiam possibilia cognoscit. Non n. ullam necessariam connexionem tales effectus cum effectibus naturalibus habent, ex quâ possibilitas eorum naturaliter & evidenter cognoscatur. Et quamvis contradictionem talia non implicare agnosceret* negativè, *h. e. videret,* principia ab adversario pro Contradictione allata non cogere intellectum ad assensum: non *tamen* positivè *alia principia adferret, evidenter cognita, quibus mysteria illa possibilia esse ostenderet. Nec omnia, quæ iuxta capacitatem obedientialem in naturâ humanâ à DEo fieri possunt, cognoscit. Vt propriâ subsistentiâ privari, divinæ inferri.*

8. An naturaliter mysteria gratiæ iam facta cognoscat? Illa, *quæ in modo producendi supernaturalia sunt, non autem in entitate ipsâ, Vt mortuum vivere, cæcum videre, potest, Eiusdem n. rationis hæc cum naturalibus effectis: Non ea, quæ simul in termino & entitate supernaturalia sunt, Vt incarnatio, hæc n. altioris sunt ordinis, quàm naturalis, & consequenter supra capacitatem intellectus naturalem. Hæc ergò si cognoscit, per naturam aut signa vel effectus naturaliter abstractos non cognoscit, sed evidentiâ in attestante. Sic DEus aut angelus unus alteri significare*

care potest, incarnationem factam esse. Dices 1. Angelus naturaliter cognoscit substãtiam angelicam, quæ superior gratià, quæ accidens. E. *si maius cognoscet, & minus. R. Qui maius cognoscit, & minus,* si eiusdem ordinis & rationis sit, *non si diversi, ut hic. Substantia angeli naturalis ordinis est, & in genere entis superior accidente: sed gratia habitualis supernaturalis est, & sic superioris ordinis. Sic homo potest ratiocinari: non tamen volare, quod minus, quia alius ordinis hoc.* 2. Naturaliter cognoscit humanitatem Christi carere subsistentia propria. E. *cognoscit subsistere aliena. Sed nec angelica nec bestiali. E. evidenter colligit, divinâ.* R. Antecedens non naturaliter cognoscit, *seclusâ omni omninò revelatione & testificatione*: sed supernaturaliter. *Et licet cognosceret, posset tamen dubitare, an per subsistentiam divinam suppleta esset, & per absolutam suppleri putare, non respectivam, ut cum trinitatem ignoraret: Et sic erraret.*

27. 9. An & seipsum angelus cognoscat? *Omninò. Anima enim humana per reflexionem seipsam cognoscit, & reflexè cognoscere absolutè perfectio quædam est, qua homo bruta superat. Ac obiectum istud angelo satis porportionatum, quia immateriale, & satis propinquum est, quia indistans est. Non ergò eius cognitio ipsi negari debet. Non tamen per speciem, sed per substantiam propriam sese intelligit,* t. 24. 10. An & unus alium cognoscat? Quidni? *Sic enim unus homo alium, unus civis alterum concivem cognoscit. Angeli autem velut concives sunt. Cognoscunt se ergò.* Sic inferior angelus *cgnoscere potest superiorem, sunt enim eiusdem generis vel speciei omnes, & in seipsis intellectuales: Et rursus superior inferiorem, sic enim & in Humanis est. Nec inde intellectus vilescit, Vt cum Homo insecta,*

vermes,

vermes, &c. contemplatur. 11. An & animas separatas? Omninò. *Nulla enim hic repugnantia, & obiectum ipsum ut spirituale, intellectui perceptibile & proportionatum est. Et animæ beatorum ab ipsis in sinum Abrahæ ad ciuitatem angelorum deportantur,* Luc. 16 v. 22. 12. An cognitione cessare possit, Et quandoq; in potestate ad intelligendum esse, an incessanter intelligat? *Probabile* Consequens, *semper in actu aliquo intelligendi esse, & si non huius aut istius rei præcise. Sic enim* omnia viuentia aliquem actum vitalem incessantem *habent, Vt nutriri. E. & angeli. Non autem magis in illis vitalis, quàm intelligere. Hic ergò incessans illis: Et si ab omni intellectu cessaret angelus, non posset se ab intrinseco iterùm in eum reducere.* Vel *enim à voluntate, at hæc prærequirit intellectionem,* Vel *ab ipso intellectu id fieret, at hic in totum cessare assumitur, Nec per se liber ille est, Vt liberè seipsum excitare valeat.* Homo *se sensuum ministerio exteriorum ad intelligendum iterum excitare potest, Cum ab omni intellctione cessauit. Sed sensus non in angelis sunt.*

28. 13. An simul multa intelligere possit? *Vt multa sunt & manent, non: sic enim multa ut multa, unicâ intellectione apprehendi nequeunt, multas enim habent essentias, eoq́ multos conceptus objectivos, quibus formales conformari oportet, & sic multarum rerum multos conceptus & intellectiones esse oportet:* Sed ut in aliquod totum ac unū concurrunt. *Sic enim unitatem aliquam sortiuntur, eoq́ & unum conceptum objectivum & formalem habent, Consequenter & unâ intellectione repræsentantur. Sic ergò ut in genere, specie, aggregato, Vno per accidens, angelus multa simùl intelligit, quatenus sub uno omnia sunt comprehensa.* 14. An & materialia cognoscat? *Omninò, Quia majora, immaterialia, cognoscit, Et minora igitur cognoscere*

 poteri

poterit. Sic & in homine id experimur, nec ulla ejus repugnantia in angelo reperitur. Maximè enim materialis distantia & remotio à spirituali substantiâ esset. Sed hæc non obest, nec convenientia in genere & specie inter intellectum & rem intellectam requiritur. Sic intellectus humanus immaterialis est, tamen percipit materialia, & substantialis, tamen accidentia, & humanus, tamen angelicum intellectum percipit. 15. An & singularia? *Quidam sensum propriè singularium, intellectum universalium fecerunt,* Vt Auerroes & Auicenna, *& ut quidam volunt, ipse* Aristoteles. *Sed exclusivo sensu id falsum est, nam & intellectus singularia cognoscit, ut de humano constat, discrimen n. inter Vniversale & singulare ponit, ac inductionem interdum ex singularibus format, quæ est species argumentationis, & hæc intellectionis: & angelico ergò id negandum non est, non n. in cognoscendo inferior humano esse debet. Et quia administri singularium sunt angeli,* Psal. 34. v. 8. Heb. 1. v. 14. *Etiam cognoscere ea oportet. Nemo n. administrat, quod non novit. Ita custodiunt pios in vijs suis,* Psal. 91. v. 11. Matth. 18. v. 10. *Sic angelus in exercitu Sennacherib. 185000. unâ nocte interfecit,* 2. Reg. 19. v. 35. *E. eos cognitos habuisse oportuit.* Quomodo a. singularia cognoscant, an per species ab objectis acceptas, an per nudam objecti præsentiam, an per concreatas & congenitas Species, variant Scholastici. *Probabile, vel per congenitas, vel per abstractas species ea cognoscere.*

29. 16. An & futura cognoscat? *Ea, quæ ex necessarijs causis necessariò futura sunt, Vt eclipses, necessariò cognoscit:* Quæ cõtingentia *ut plurimùm ad unam partem sunt, etiam ex causis & requisitorum positione cognoscit, Vt mortem ex vulnere lethali, tempestatem futuram ex aëris constitutione, astrorum di-*

spositione

spositione & inclinatione, & similia. *Hæc enim* & Medici ac Mathematici *probabiliter interdùm præsciunt. Magis angeli, longè perspicaciores hominibus, id poterunt.* Quæ contingentia prorsùs fortuita & ad utrumlibet sunt, *non cognoscit, non enim Causas horum, indicia, aut eventus in aliquo prævidere potest. Vnde Sathanas talia prædicere volens sæpè dolis & ambiguitatibus lusit, cum eventus ipse non præsciret:* Quæ in se libera, *certò tamen actualia & sic futura, quamvis nobis occulta, præsciri ab angelo possunt. Ita quid in alijs locis agatur, nosse possunt, quæ nos ignoramus. Sic Sathanas per arreptitium Sacerdotis alicujus ad 5. milliaria disiti egressum, iter, accessum, præsentiam ad fores, & similia prædixit. Sic speculator equitum turmam de longe videns circa certum tempus eam Vrbi affuturam prædicere potest:* Quæ ratione Dei *ejusq; beneplaciti futura sunt, ex revelatione DEi nosse possunt. Sic n. Prophetæ ex eadem futura prædixerunt. Idem de angelo non incredibile est. Sic Gabriel conceptionem Christi prædixit,* Luc. 1. *Alius Simsonis nativitatem,* Jud. 13. v. 3. *Huc quidam* Sybillarum *aliorumq; vaticinia referunt.* 17. An & cogitationes humanas cognoscat? *Vt in seipsis & intra animum sunt, non, sic n. solius DEi esse dicitur, corda & renes scrutari,* 1. Chron. 29. v. 9. C. 30. v. 17. 2. Chron. 6. v. 30. 1. Sam. 16. v. 7. Ps. 7. v. 10. Jerem. 11. v. 20. c. 17. v. 18. c. 20. v. 12. *Affirmavit id quidem* Durandus & Heruæus *de præsentib. cogitationibus in intellectu,* 2. dist. 8. q. 3. & 5. *Sed nullâ ratione. Nec interna cogitatio aut volitio hominis ulli præter DEum subjacet, nec angelus facultatem naturalem intelligendi habet, nisi ad ea, quæ ad ordinem naturæ pertinent. Cogitata autem & volitiones ad causam liberam pertinent, quæ ad ordinem superiorem, ac natura est, refertur:* Vt signis, motibus,

affectibus gestu aliqvo, loquela, aut similibus notis vel indicijs *qualitercunq; produntur, potest. Sic* Medici *quasdam affectiones animi per pulsum agnoscunt. Vt amorem Antiochi* Erasistratus, *& uxoris Menippi Galenus ex pulsu & motu arteriarum deprehendit.* Horstius diss. d. nat. amoris. *Quidni angeli, longè subtilioris intellectus & judicij spiritus, subtiliter hic conjecturari, ac solerter ex qualicunq; signo internum animi humani cogitatum rimari ac cognoscere queant?*

30. Dices 1. Quare angelo principium sufficiens ad cognoscendum cogitata deest? Quia partim *talis cognitio supra vim & ordinem naturæ procedit, adeoq; altioris est ordinis, quàm ut naturæ angelicæ competere debeat:* Partim *angelus cognoscere quidem humanam naturam debet, non tamen totam penetrare & exhaurire. Hoc enim DEo etiam relinquendum. Vnde nec species cogitatorum humanorum concreatas angelos habere cum* Thomistis *dicendum. Vbi enim hæ, & objectum ipsum actu intelligibile est, intellectio omninò fieri potest. Hic autem ita esse certum, Vt maximè homo non in id consentiat. Qui consensus nec hic necessarius, nec in alijs intellectionibus est. Sic parietem, bovem, leonem, quis intelligit, etiamsi isti nunquam eò consentiant.* Et objectum satis intellectui fit proportionatum per lumen intellectus & speciem intelligibilem, ut actu intelligatur, Non consensu aliquo hic opus. *Ista autem sufficienter in angelo sunt. Nec species tales acquiri ab angelo cum* Scoto dicendum, *non tamen intellectionem sequi, quia Deus ad eam nolit concurrere. Hinc enim angelum naturaliter cogitata cognoscere, & eò vim naturæ sufficientem habere sequatur. At hoc divinitatis argumentum* Patres *facere solent, & Scriptura notanter DEo adscribit,* t. 29. *Nec Deus solet concursum naturaliter*

liter alicui debitum negare, nisi extraordinariè & miraculosè, Vt in igne Babylonico, Dan. 3. v. 15. seq. *Et manu Ieroboami,* 1. Reg. 13. v. 4. *Sic autem perpetuò in hac cognitione angelorum Deus miraculum faceret, quod improbabile.* 2. Quare angelus nequeat speciem cogitati interni acquirere, cum animalis, hominis, aut parietis possit? *Nempè* quia *cogitatum internum non est in seipso intelligibile creaturæ, nisi aliquo signo exprimatur, aut per modum objecti ad eliciendam vel producendam speciem concurrat. Vt cum angelus angelo suum cogitatum imprimit, & per modum objecti cum intellectu alterius concurrere vult & concurrit. Hic autem concursus quia cum voluntate junctus est, liber est, non naturalis, Et nonnisi ex consensu mentis imprimitur.* Ordinariè *autem mens alteri cogitata aperire non consentit, nisi per externa signa, Vocem, indicia. Et sic species intelligibilis nonnisi per hæc formabitur. Animal autem, homo, & simile quid objecta per naturam agentia, non libera sunt. Itaq; species intelligendi naturaliter de se fundunt. Potestq; species abstrahi hominis, parietis, non autem cogitati interni.*

31. 18. An & habitus intellectuales, Vt sapientia, scientia, prudentia in angelo dentur? *De naturalibus & acquisitis habitibus negasse antiquos* Philosophos & Patres *refert* Thomas 1. 2. q. 10. a. 6. *Nec ipse multùm ab eo alienus est, & si infusos habitus ad supernaturales intellectiones elevantes concedat. Eum sequuntur* Scotus, Cajetanus, Maironis, Fonseca, Tannerus d. 5. T. 1. q. 3. dub. 8. n. 28. alijq;. *Nihilominus & acquisitos ac naturales in illis esse posse circa objecta non evidenter cognita* Henricus, Medina, Molina, Suaretz, Pesantius, alijq; *asserunt. Et patet* 1. Quia *intellectus angelicus aliquando errori obnoxius fuit, ut in dæmonibus patet, qui appetitu majoris emi-*

nentiæ è statu suo prolapsi, unde errorem in intellectu & judicio præcessisse oportuit, quo istam eminentiam ut bonum & appetibile quid apprehenderint. E. & capax habituum fuit, quo ab errore præcaveri intellectus potuerit. 2. Quia angelorum bonorum intellectus *in vero obfirmatus est, ut errare & falsa concipere non possit. At hæc ipsa obfirmatio est ab habitu intellectuali. Habitus enim inter alia confirmant potentias ad ritè justeq; operandum, & hic* proprius *eorum effectus est, subjecta sua confirmare ad unum.* Dices: Sunt de facto angelis bonis à Deo infusi isti habitus, non acquisiti. R. Acquiri tamen ab illis potuissent, *& sic absolutè naturæ eorum non repugnat, eorum capaces esse. Minoris enim aliàs in intelligēdo perfectionis essent, quàm homines, qui habitus, quibus ab erroribus intelligendi præmuniantur, ad verum determinentur, acquirere possunt, ut patet. Quod de angelo concedere inconveniens.* 3. Quia habitus morales *vel analogum quid, ut justitia, veritas, modestia, fortitudo, in illis dantur, quibus voluntas in appetendo perficitur.* V. dec. 3. Misc. d. 2. t. 5. *Et concedunt Scholastici.* V. Tanner. c. l. d. 1. q. 4. n. 26. *At realiter denominantur justi, veraces, fortes. Hæc denominatio* vel ab aliquo, *quod realiter idem cum essentiâ sit, erit, At hoc non, Sic enim in solo DEo ob summam simplicitatem & perfectionem est,* t. 13. 23. *Et Diaboli non sunt veraces, justi, qui tamen essentiæ angelicæ:* Vel ab aliquo, *quod essentiale proprium angeli sit, quod etiam non, quia à quibusdam angelis, ut diabolis absunt, propria autem à nullo suæ speciei absunt, saltem naturaliter & ordinariè:* Vel ab aliquo habitu *aut ei respondente, aliud enim ultra hæc dari hic non potest. E. & habitus intellectuales aut ei respondens quid in angelo dabuntur, quibus intellectus in cognoscendo perficiatur.*

32\. 19. An & componendo ac dividendo cognoſcat, & conſequenter enuntiata formet? *Omninò. Multa enim per ſpecies intelligibiles cognoſcit,* t.24. *Et ſic aliam ac diſtinctam cognitionem de ſubjecto, aliam de prædicato habet, & diverſa intellectione particulariter hoc & illud cognoſcit. Solus Deus uno ſimplici ac totali obtutu omnia intuetur & penetrat. At hoc eſt componendo & dividendo cognoſcere.* Deinde *intellectio angelica & ſi perfectior humanâ ſit, abſolutè tamen finita & creata eſt, non increata. Vnde quod huic competit, & angelicæ negari non debet. Huic autem competit, componendo & dividendo diſtinctè & particulariter diverſarum rerum naturas cognoſcere, Et per hoc creata ab increatâ contradiſtinguitur, quod particularis per diverſos conceptus cognitio in hac locum non habeat. Idemq́ in humanâ intellectione patet. Et angeli ergò intellectus ita cognoſcet.* Dices: Eſt perfectior humano intellectu. Non ergò ita particulariter cognoſcet. *R. Eſt perfectior humano, ſiſtendo tamen intra perfectionem finitam, quæ particulariter ob finitudinem perfectionis ſuæ cognoſcit. Divinus intellectus eminenter omnium rerum perfectiones continet, Vnde imagines omnium in eo reſplendere poſſunt, ac ſimplici obtutu cuncta exhaurire poteſt. Finitus intellectus multitudine ſpecierum opus habet. Negat* Thomas & alij, *ut poſt patebit. Sed ſine ratione.* 20. An & diſcurrendo & à noto ad ignotum inferendo? *Omninò & hoc. Nec n. omnia ſciunt, nec omnia ſatis diſtinctè ſciunt. E. aliquorum notitiam diſcurrendo acquirere poſſunt: nec multa ut multa, ſimul intelligunt, t.28. E. inadæquatè unum ex alio inferre poſſunt, quod eſt diſcurrere. Et experiendo quædam cognoſcere poſſunt, ut per effectus, ſigna, & notas exteriores, & ſimilia. At experiri eſt unum poſt aliud inducere, & per illud ex ſingularibus*

ribus notitiam Universalem colligere. Inducere autem species argumentationis ac discursus est. Negant, ut & prius de compositione ac divisione, Toletus, Thomas, & Drexelius, quos d. 10. Gym. Log. repetit. t. 22. *allegavi.* Itemq; Ferrariensis, Caietanus, Bannes, Alensis, Capreolus, Valentianus, Suaretz, Tannerus d. 5. q. 3. d 8. n. 20. Borcovius c. Nicolaid. d. Eccl. c. 5. Jac. Martini l. 2. ex. 3. Metap. t. 4. aliiq;. *Rectius affirmant* Scotus, Ariminensis, Gabriel, Occamus, Scheiblerus, aliiq;. *Nec rationes* Thomæ *& applaudentium, quas* Tannerus c. l. *adducit, magnoperè stringunt, Ut* alibi *docetur.* 21. An ab intellectu humano specie sit diversus? Et hoc probabile est. *Intellectus enim prorsùs ad materiam informandam non determinatus, & ad eandem ex essentiali habitudine subordinatus & determinandus est intellectus plùs quàm accidente, & sic specie diversus. Talis enim habitudo in hoc genere specificum discrimen importat. Sed intellectus angelicus & animæ humanæ ita se habent, Ut patet. Ergò.* Deinde *intellectus est proprietas essentiæ specie ab angelicâ diversæ. E. & ipsa ab angelico intellectu specie differt. Sic enim proprietates solent in hoc naturas suas imitari. Pluribus* t.. 33. *hæc patebunt.* 22. Quid & qualis memoria intellectiva in angelo sit? *Vis nempè aliqua ipsius intellectus, quà apprehensa in intellectu servantur & recolliguntur. Dari eam in angelo ex intellectu, perfectione propria, majore angeli præ homine nobilitate, in quo memoria & similibus de voluntate* t. 33. *dictis patet.* Et realiter ab intellectu non est diversa, *tanquam nova facultas intellectui & voluntati superjecta, sed eadem. Ejusdem n. est servare habitus, & illis uti. Intellectus autem utitur speciebus intelligibilibus. E. & eas servat, & sic simul est memoria.* Nec *essentiale objectorum inter*

ista

ista est discrimen, cum utriusq; objectum sit cognoscibile & res intelligibilis: *Sed accidentale tantùm, ut intellectus in rem feratur ut absolutè cognoscendam, memoria in eandem ut cognitam servandam, ac iteratò repræsentandam.* Modale *hic discrimen est, eoq; aliquam differentiam inter ea ponit, sicq; analogia Trinitatis, quæ ex tribus facultatibus animæ & Spiritus, intellectuus, voluntate, & memoria sumitur, utcunq; respondetur. Late n. tres facultates appellari possunt.*

33. Ita Intellectus angelicus fuit. Voluntas est attributum angelicum, quo omne volibile s. appetibile primarium & secundarium, spiritualiter ac distinctè velle, & inappetibile aversari potest. *Eius actus est volitio, appetitio, aversatio. De hac quæritur* 1. An reverà voluntas in angelo detur? *Dari patet* Scripturâ, *quæ eam & actus ab eâ prodeuntes ei tribuit, ut obedientiam & inobedientiam, bonitatem & malitiam moralem, præmium & pænam*, Psal. 103. Dan. 7. &. 10. 2. Pet. 2. Hebr. 1. Iudæ v. 6. Et in Apocalypsi *passim: Et Naturâ, quia intellectum necessariò comitatur voluntas. Intellectus a. in angelis. Et velle absolutè est perfectio aliqua, Vt in DEo patet, & quæ etiam inferiori substantiæ, Vt homini, competit. E. nec angelo, superioris ordinis substantiæ, neganda* : Partim *quia alias libertate careret, quæ ex voluntate profluit, quod etiam inconveniens.* Conf. t 38. 2. An verum accidens ab essentiâ angeli realiter diversum sit? *Ita sequitur ex illis, quæ de intellectu* t. 23. *conclusa sunt.* 3. An specie à voluntate humanâ differat, an modo saltem accidentali? *Et hoc ex illis, quæ de intellectu* t: 32. *dicta sunt, sequitur. Et communiter* Scholastici *specie differe dicunt, prout & subiecta, angeli & animæ rationales, in genere spiritus creati, specie differunt, Vt* Thomas, Durandus, Alensis,

Vasquetz,

Vasquetz, Suaretz, Tannerus c.l. q.4. n.8. d. 1. alijq; Patetq; partim, *quia utraq; potestas proprietas naturæ specificè distinctæ est, conf c.l. Essentiæ enim hic specie differunt, anima & angelus, E. & potentiæ. Sic vis latrandi & rugiendi propria formarum specie differentium, leoninæ & caninæ sunt. E. & ipsæ specie differunt:* Partim *quia nudum accidentale discrimen inter attributa ista ponere insufficiens est; Genus n. substantiæ spiritualis creatæ ad completam & incompletam se habet ut genus essentiale ad species essentiales subiectas, quia substantia corporea in simplicem & mistam, cæterasq; differentias in prædicamento substantiæ, ut genus in species, non nudum subiectum in accidentia dividitur. E. & substantia spiritualis ita dividi debet. Sed species hæ sunt, spiritus completus, angelus, & incompletus, anima rationalis. E. hæ species essentialiter differunt, & cõsequenter etiam proprietates ab illis manantes.* Dices: Operationes, volitiones, non differunt specie, E. nec potentiæ. R. Negatur Consequentia. *A diversis specie causis unus interdum effectus oriri potest. Sic calefactio & incensio à sole & igne, cum sol tamen & ignis maximè specie differant: humectatio ab aere, aqua, oleo, & vino, quæ tamen specie diversa. Antecedens etiam dubium videtur, volitionem animæ non specie differre ab volitione angelica.* Genere *convenire possunt,* specificà differentià *differre. Sic intellectio angelica & humana specie differunt.*

34. 4. An & appetitus sensitivus in angelo? Nequaquam. *Spiritus n. meri sunt, non Corporeæ substantiæ, t. 11. Nec sensitivam cognitionem per organa animalia habent, à quâ dependet appetitus sensitivus, sed merum intellectum habent. Qualis autem intellectus, talis voluntas eum consequens. Vnde nec appetitus concupiscibilis nec irascibilis propriè in eo, etsi per tropos*

utrumq;

utrumq́; interdum de angelis enuntietur. Quomodo Dionysius *concupiscentiam amentem & furorem irrationabilem Dæmonibus tribuit.* 5. An in aliquo volendi actu semper sit, an ab omni omninò cessare possit? *Probabiliter in aliquo semper est, etsi in hoc aut illo non necessariò sit. Sic n. viventibus semper aliquis actus vitalis assignari solet. Et hoc naturalis alicuius perfectionis est, semper in aliquo actu esse, nec ab hâc perfectione quidquam iure angelũ avocare potest.|Angelis a. cõmodior dari nequit, nisi intelligere & velle.* Conf. t. 27. 6. An nonnulla necessariò amet, naturaliter, & quoad exercitium, & quoad specificationem? Scholastici *varias amoris species habent,* concupiscentiæ, *qui in rem,* & benevolentiæ *ac amicitiæ, qui in personam fertur: necessarium & liberum, naturalem & electivum.* Seipsum angelus *amore amicitiæ amat, tũ necessario, quoad finem, ut sibi benè esse velit, non malè: Esse suum naturale cum perfectionibus sibi debitis velit, non destructionem istius esse: tum liberè, quoad hæc aut illa media ad finem ducentia: Tum quoad specificationem, tum quoad exercitium, nihil n. dari potest, quod actum amoris hic impedire possit.* DEum in se spectatum, & alium angelum necessariò amat quoad specificationem, *Novit n. DEum summum bonum, ac proinde summum amabile esse, Et esse suum ab authore Naturæ dependens sibi vult ac amat: Nec in DEo ut sic, aut angelo alio ex naturâ spectato ullam mali rationem invenit, ob quam eos absolutè odisse queat:* Non semper quoad exercitium, hoc *n. depravatâ cognitione in dæmonibus impediri potest, aut aliâ aliquâ ratione accidentali circa DEum aut angelum alium impediri. Sic Dæmones oderunt Deum, ut vindicem scelerum, & sanctum ac iustum ens, & angelos bonos, quia malitiæ suæ obsistere vident & norunt. DEum ut authorem*

rem sui amare possunt, quia seipsos & sui conservationem â DEo pendentem amant: Vt authorem totius naturæ non amare possunt, & sic cōtra præcepta naturæ etiam peccare possunt, ut alibi docetur, V.t.67. 7. An habitus morales in illo sint? *Ita, tàm boni, quàm mali, aut* aliquid illis respondens. *Sic in angelo bono iustitia, mansuetudo, Veracitas, modestia, in malo iniustitia, odium, dolus, mendacitas, superbia.* V.t.31. In *bonis habitus hos quidam negant,* Vt Tannerus c. l. q. 4. t. 1. n. 28. *Sed ex t. 31. probabilius contrarium elicitur. Quòd indifferentes non sint ad bonum & malum, habitum virtutum â DEo inditum magis arguit, quàm adimit. Sic vir summè virtuosus vix potest vitiosè agere. Hoc ex habitu magis habere colligendus, quàm non habitu.* V. c. l. 35. 8. An actus voluntatis subreptitij & inaduertentiæ in illo? Naturaliter non, *quia sufficienter sua cognoscunt, & ex istâ cognitione operantur, Nec phantasiâ mouentur, nec appetitum habent, qui inaduertenter Iudicium intellectus præueniat.* Præternaturaliter *habere possunt, Vt in dæmonibus, qui ex intellectu distorto & voluntate corruptissimâ operantur, & sic sæpe per imprudentiam, furorem, impetum, inaduertenter procedere possunt.* 9. An naturaliter immutabilis & inflexibilis voluntas angeli sit, Vt quod semel tanquam exploratum deliberatò elegerit, reprobare aut de eo poenitere nequeat? *Affirmant* Thomas, Capreolus, Heruæus, & Thomistæ cōmuniter. *Negant* Scotus, Occamus, Bonauentura, & Scotistæ ap. Tannerum c. l. d. 2. *Et rectius. Semper enim angelus manet liber, etiamsi ad vnum aliquando se determinârit. Vt enim ante determinationem indifferens ad hoc & illud fuit: Ita & postquam determinauit, talis manet, Nec deliberatio aut determinatio libertatem eius tollit. Et si prorsus inflexibilis post deliberationem*

rationem esset. Vel *ex conditione Naturæ id esset, quasi prorsus ea immutabilis, Quod solius Naturæ divinæ proprium,* V. dec. 1. miscel. d. 6. t. 4. seq: Vel ex *deliberationis & cognitionis perfectione, q. omnia, quæ mutare possent voluntatem, iam præcogitassent. At unde tanta perfectio ad omnia eventura in creaturâ præsumitur? Et unde libertatem ea adimeret, quam antea reliquisset?* Vel *ex firmitate applicationis voluntatis ad volendum, quasi summo impetu illa voluisset. At quia hæc volitio actus transiens est, postquam transijt, conatum contrarium aut vim incilnandi ad illud nec per se, nec per effectũ aliquem relictũ impedire potest.* Deinde *si angeli voluntas naturâ inflexibilis, angeli boni naturâ sui impeccabiles redditi essẽt. At hoc cõmuniter gratiæ tribuitur. Plura alibi.* 10. Quodnam obiectũ voluntatis angelicæ? Bonum & appetibile, & malum sub specie ac ratione boni suggestũ, apprehensum, arreptum. *In malo enim sub ratione & formali mali appetibilitas esse nequit. Vt dec. 3. mis. dictũ*

36. Sic Voluntas fuit: Libertas est perfectio angelica, quâ quæcunq; appetit, liberè & non coactè aut violentè appetit, eligit, & perficit. Eius actus est libera electio. *Propriè est modus magis & perfectio aliqua voluntatis, quàm peculiare attributum. Specialiter tamen hic deducitur, quia quædem de eâ moveri solent. De hac quæritur* 1. An competat angelo? *Omninò.* Partìm *quia radix & fundamentum libertatis, quod semper ante eam in subiecto est, intellectus, in eo est,* t. 23. Partim *quia voluntas in angelo, t. 33. Cuius perpetuum consequens libertas:* Partim, *quia libere agere simpliciter perfectio est, Vt in DEo patet, qui liberrimus, Et in homine etiam reperitur. Minus ergò angelo deneganda:* Partìm *quia si non liber, coactè omnia ageret. At hoc summa miseria & servitus est, Et vel â superiori cogere-*

 tur

tur, ut DEo, vel æquali, quod non facile fertur, vel inferiori, quod etiam inconveniens. Libertas ad obiecta contraria *non semper in illis. Sic boni malum, mali bonum agere non possunt:* Agendi tamen & non agendi, *& Sic Contradictionis in illis, & hæc sufficit. Vt in DEo & Christo.* V. t. 37.

37. 2. Ad quos actus liber sit angelus, Cum necessariò bonum agat, malum fugiat bonus angelus, nec possit aliter agere? R. 1. Obiectum *generale quoad specificationem potest esse necessarium, Vt bonum agere, Vt tamen speciale quoad hoc aut istud exercitum sit liberum. Sic hoc a. illud bonum in specie liberè eligit angelus.* 2. Libertas & indifferentia *inprimis ratione mediorum ad finem est, non ipsius finis, qui necessariò intendi potest. De medijs n. est consultatio, & eorum unum liberè eligitur, alterum respuitur. Sic angelus bonus necessariò DEum amat & glorificat: ad id tamen uno medio posthabito alterum liberè adhibere potest. Sic DEus necessarius ad bonum: ad hoc tamen vel illud medium eligendum liber est, per quod bonum exequatur.* 3. Quot modis angelus sit liber? *Inprimis* tribus. Primò *ratione actuum immanentium. Liberè enim in se & ex se & attributis suis volitionem ac nolitionem unius & eiusdem medij elicit.* Secundò *ratione diversorum mediorum, tanquam obiectorum. Ita medium hoc vult, aliud non vult.* Tertiò *ratione diversorum effectuum extrinsecorum. Ita potentiam applicat ad efficiendum, quod ante noluit, vel destruendum, quod voluit.* 4. Quomodo cum libertate angeli conveniat, quòd servus DEi sit, cum servitus & libertas contraria sint? *Servitus, quæ per modum mancipij & coactionis est, libertati repugnat, nec verè liber est, qui taliter servus: Non quæ per modũ officij & administrationis. Sic Officiarij principi aut Reipublicæ serviunt, tamen maximè liberi,*

liberi. Hoc modo angeli administratorÿ spiritus sunt. 5. An & contingenter agere dici possit? *Omninò. Nam & indifferentia ad agendum ac non agendum in illo est, & in agendo mutabilis ac flexibilis est, Vt t. 35. dictum, quale agens omninò contingens dici solet, Et in essentia ens contingens certo modo dici potest,* Vt post *patebit.* 6 An & in Essentia Ens contingens dici queat, an potius necessariũ? *Si contingens dicatur, quod absolutè necessarium non est, sed esse dependens habet, quod ab alio qualicunq́ modo, vel naturæ, vel supra eam destrui potest, Angelus omninò est Ens contingens, & solus DEus hoc modo necessarius. A DEo n. annihilari iste potest, Vt* t. 48. *patebit:* Si id, *quod ab actu humano & creato esse obtinet, necessarium ens est, non absolutè quidem, quasi omnimodè ipsi repugnet non esse, quomodo DEus necessarius est, sed cum respectu, Vt nempè opposità semel existentià naturâ sui incorruptibilis sit, & non esse ei repugnet,* V. t. 47. 48.

38. *Ita &* libertas Angeli. Actiuitas est attributum angelicum, quà potestate ad agendum sibi non repugnantia & à natura sui aliena, maximâ, sed finitâ tamen, est instructus, ut quæ vult, efficacissimè, celerrimè, facilimè, à superiore agente non impeditus, expedire possit. *De hac quæritur* 1. An substantias & formas substantiales realiter producere possit? *Immediatè & ex seipso non. Vel enim crearet, vel generaret, quorum neutrum in angelis, t. 11. 12. 19. Vt in aliÿs creaturis ad effectionem subordinationem suam habentibus est:* Mediatè tamen & per alias causas naturales applicando agentia passiuis *occasionem ad producendas substantias materiales dare potest, & sic tanquam agens applicans substantias per alia producere potest. Sic si moveat ustile ad ignem, producetur ignis, calorem solarem ad fimum, scarabæus aut rana, aut*

 simile

simile quid. Et hic quidem celeriter applicare, solerter contemperare, & interdum mirabiliter ad extra producere aliquid potest. I*ta de dæmone id probatum* Tr. d. Mag. act. C. 8. t. 1. seq. *De bono angelo magis verisimile est, qui Sathanâ in activitate non inferior est.*

39. 2. An qualitates materiales & sensiles, ut colores, tangores, odores, sapores, sonores, producere possit? Etiam immediatè *non, cohærent n. talia cum naturis materialibus & corporeis, ex quibus resultant, & â quibus producuntur. Sed talis natura angelo prorsus est disproportionata. Et si has qualitates produceret, consequenter & formas substantiales produceret, Disponere enim ad has illæ, & proxima instrumenta ad eas hæ esse solent:* Mediatè & per alias naturales causas *id potest. Vt per corpus luminosum aërem illuminare, per calidum calefacere, frigidum frigefacere, per aëris repercussionem sonum excitare, &c.* Dices 1. Anima humana qualitates materiales quandoq; efficit, *Vt nimium speculando calorem in capite, dolorem in membris, forti imaginatione colores corporis mutat, cura attentiore canitiem capillis inducit. Cur id angelo negetur? R.* Hæc anima efficit, non in quantum *spiritualis & cum angelo convenit, sed in quantum forma essentialis sui uniti corporis est, & cum angelo disconvenit. Sic ut corporis organis utitur, partes informat, totumq; totaliter permeat: Ita mutationem aliquam partibus corporis, quod permeat, inferre potest.* 2. Angelus format species intelligibiles, t. 24. *At hæ qualitates sunt. R. Sed* Spirituales & intentionales, *non materiales & sensiles. Ita angelus lumen intelligibile, conceptum, speciem intelligibilem ad extra in alio producere potest: Sed hac qualitates spirituales & intentionales sunt.* 3. Angelus

ſus impulſum motiuum Corpori imprimit. *At hic qualitas materialis. R. Sed ad locum & ubi ordinata, non aliqua ex propriè dictis qualitatibus materialibus, quas ſecundum 5. ſenſus diſponere ſolemus.* Motus *inter ſenſilia communia eſt, non propria. Talis vis ad motum etiam in alio producendum in angelo eſt,* V.t. 40. *Et motus ut ſit, à Corporali & Spirituali præſcindere poteſt, & in utroq́ eſſe. Vt ita inter qualitates tantùm materiales referri non debeat.*

40. 3. An vis ad movendum in angelo diſtincta ab intellectu & voluntate ſit? Quidam *negant, & ſolâ voluntate ejusvè imperio ſe & alia movere putant,* Vt Soncinas, Durandus, Capreolus, Argentinas, Baſſolis, Delrius, Molina, Thomas, Hervæus, aliję;. *Alij affirmant,* Vt Henricus, Aureolus, Cajetanus, Suaretz, Conimbricenſes, Thomas. *Alij utrumq́ probabile cenſent, Vt* Scheiblerus, *& alij. Re differre probabilius eſt.* 1. Potentiæ enim *naturales in rebus Creatis ſecundùm operationes & objecta diſtinguuntur. Sed actus & objecta locomotivæ, motus localis, realiter diſtincta ab actibus intellectus & voluntatis ſunt. Ita ergò & vis movens ab int: & volunt:* 2. In animâ ſeparatâ *realiter iſta vis ab intellectu & voluntate diſtincta eſt, ut communiter ſentitur. Cur non & in angelo?* 3. Actus immanentes *per ſe non ſunt operativi ad extra* 1. Eth. c. 7. & 9. Meta. c. 9. E. *nec intellectio ac volitio motum localem extra producent.* 4. Poteſt in angelo *voluntas efficax ad movendum eſſe, ut motus tamen ipſe poſt horam demùm ſubſequatur. Non ergò voluntas ejusvè imperium eſt ipſa vis locomotiva ſe exerens, hæc enim ubi ſe exerit, motum ipſum ſtatim ſequi neceſſum eſt.* Dices 1. Ariſtoteles 3. d. an. t. 10. etiam intellectum & voluntatem principia moventia ad extra

 facit.

facit. R. Sed mediata, *intellectum per modum dirigentis, voluntatem per modum impellentis & inclinantis.* 2. Attributa angeli tantùm intell. & voluntas dici solent. R. Nempè *ad intra operantia. Ab extra esse alia inde negandum non est. Principalia sunt ista, secundaria tamen etiam relinqui debent.* 3. Entia citra necessitatem ita multiplicantur, *cum voluntas sufficiat.* R. Contrarium *ex rationibus ante adductis patet.* 4. Definitio motus Aristotelica angelis non competit, est n. ens imperfectum & in potentia. E. nec *vis locomotiva.* R. Motus nempè Aristotelici, qui Physicus, *corporum tantum, & potissimum quidem generabilium ac corruptibilium, qualia angeli non.* Motus horum spiritualis *& ultranaturalis est, Vt ipsa subjecta spiritualia & ultranaturalia sunt,* Pneumatici *fori, non Physici,* t.6. *Talis & vis movens, & motum hunc definitione motus Physici continere nil necessum est, non n. in angelis hic locum habet, Vt* Scotistæ *volunt,* V. Perer. l.2. de Naturâ, c.2.

41. 4. An & alia extra se ac Corpora movere possit? *Quidam negant naturalem hanc vim angelo esse, ut* Parisiensis ap. Delrium. *Alij id sensisse eum negant, ut* Tannerus c. l. q. 5. d.1. *Naturalem esse patet, Quia* partìm *anima Corpus movere potest, Cur angelo id negetur?* Partìm *quia locomotiua perfectionis est, ut in DEo, homine, & animâ separatâ patet, non imperfectionis, eoq; angelo non deneganda:* Partìm *quia in sacris exempla angelorum corpora loco moventium dantur,* Dan 14. v 35. Matt. 4. v. 5.8. Act. 8. v. 39. *Et Sathanam cadauera jnterdùm moucre certum est.* V. Tr. d. Magicis action. C. 4. t. 22 *Quibus vim motiuam miraculosè demum à DEo communicatam esse non credibile est, Sic n. convenientius DEus per seipsum sine angelo hoc fecisset:* Partim *quia nihil repugnantiæ dari potest, quo*

talem vim angelo incompetentem esse demonstretur. In se n. perfectionis est, non imperfectionis, t. 39. 5. An vis alia movendi à vi seipsum movendi distincta sit? *Eadem est. Terminus n. formalis utriusq́, ubi locale, idem est, Et in animâ eadem potentia Corpus & seipsam movendi est: Et plerumq́ angelus alia mouendo vel simul seipsum movet, vel impetum saltem mouendo imprimit, ad quod utrumq́ nullâ aliâ potestate opus, quàm quà seipsum movere potest.* 6. An verè seipsum moveat, an externâ tantùm denominatione, Cum alia movere intelligitur & denominatur? Ita Cajetanus, Heruæus, Durandus, alijq́; *voluerunt. Contrarium patet* 1. Quia *angelus potest recedere Corpore relicto immoto, quod antea mouit. Sic Sathanas cadaera movit, postea reliquit.* V. c. l. *In seipso ergò & proprio subiecto mouetur.* 2. Cum Corpora *de loco ad locum defert, Vt Habacucum, Vt ante dictum, prius ipsum moueri oportet, quàm Corpora. Ab illo enim in his motus est. Non enim solâ externâ denominatione movetur. Simile est, Cum in assumptis Corporibus moventur, Vt in sacris exempla sunt.* Gen. 19. v. 1. 3. Num. 22. v. 22. seq. Act. *12.* v. 8. & alibi. 3. Si in seipso *non mouetur, spatio affixus & immobilis erit. At hoc imperfectionis est, non perfectionis. Anima enim seipsam & corpus locomouet. Cur angelo id negetur? Sic Diabolus circumire dicitur,* Iob. 1. v. 7. C. 2. v. 2. 1. Pet. 5. v. 8. *Cur non angelus bonus id possit?*

42. 7. An angeli motus continuus & discretus dici possit? Subiectiuè *& ex parte mobilis continuus non est, hoc enim Indiuisibile & incorporeum, spiritus:* Terminatiuè *& adiunctivè esse potest, terminus enim & spatium, per quod angelus fertur, extensum, & duratio motus tempore extenso sine corruptione esse potest.* Similiter *discretus esse potest compositè, quia ex plurib. motibus*

tibus continuis sibi succedentibus constare potest, Vt cum sine mora & uno spatio in aliud continuè mouetur, Vel pluribus motibus instantaneis sibi succedentibus, Vt si in instanti unum spatium adæquatum deserat, aliud, & tertium ac quartum, & consequenter acquirat. 8. An in instanti moueri queat? *In proximè distans potest, sic unum totale spatium in momento relinquere, proximum acquirere: In remotè non nisi per analogiam, vt Româ Hispalim aut Mexicum, quia summâ celeritate, nec medio resistente, nec mole corporeâ impenetrabili impediente, eò fertur. Vnde quasi instantaneo motu mouetur. Vnde quidam angelos ubiq; esse dicunt, sed subitò pervolando.* Vt Origenes in C. 1. Iobi De quo Tr. d. multipræs. t. 78. dixi. 9. An naturaliter ab extremo in alterum moveri possit, non pertranseundo medium? *Affirmant* Capreolus, Marsilius, Heruæus, alijq;. Negant Alensis, Albertus, Richardus, & alij. Tertij *inter extremum coniunctum & dissitum distinguunt, Et de hoc rectius negant, Vt* Scotus, Valentia, Gabriel, Tannerus c. l. q. 2. d 7. *Nec n. credibile, quî extrema attingi possint, nisi spatia interiacentia primum percursa fuerint. Nec n. per solam operationem transeuntem angelus alicubi est, quod præsupponunt, qui affirmant, sed per substantialem spatij designationem & approximationem, ut alibi dictum.* V. t. 49. *Nec in distans agere potest angelus, nisi virtutem primum per medium diffundat*, q. 10. *Minus substantiam sistet in extremis, non prius ductâ eâ per medium.* An supernaturaliter à DEo ita moueri queat, dubium *est. Si nihil realis contradictionis hic, fieri queat. Sin, non facilè asserendum veniat.* 10. An & quà substantiam remota movere possit? *Affirmant* Hervæus, Occam, Gabriel, alij. *Negant* Thomas, Thomistæ, Caietanus, Scotus, & alij. *Et probabiliùs. Sic enim & in remotissimâ*

tissimâ distantiâ movere poterit, quod non facilè conceditur: Et naturalia non agunt in distantia, nisi primùm per media, adeoq; contactu aut corporali, aut virtuali. Et secus non opus esset angelos substantialiter â cælis in terras ad custodiam hominum aliaq; expedienda mitti, si & in absentia agere possent. Satis n. per eam vim ista expedirent. Quod tamen Scripturæ repugnat.

43. 11. An & angelus angelum, inferior superiorem aut æqualem movere queat? *Omninò. Sic n. Diaboli animas humanas raptant in infernum, & â DEo angelus loco moveri potest, nec ulla est repugnantia, cur in angelo id non sit.* Superiorem tamen inuitum & resistentem *angelus inferior non movebit: sed consentientem. Nisi fortè Sathan sit, hunc n. etiam superiorem & resistentem inferior è bonis movere poterit, hoc n. statui beatitudinis in hoc, & damnationis in illo conveniens est, bonorum n. potestate hi compesci & coërceri debent, & in bonis vis gratiæ est, in malis saltem vis naturæ. Gratia autem superior naturâ.* 12. An impresso impetu eum moveat? *Non, sed immediatè per substantiam. Nec impetu hic opus est, cum non corpora hic, & impetus plerumq; in corporeis imprimatur.* 13. An Corpus impresso impetu movere possit? *Affirmant* Molina, Vasquetz, alij. Negant Suaretz, *quamvis hic ad utrumq; etiam inclinet,* Tannerus q. 5. d. 2. n. 15. Alij *distinguunt.* Vt Scheiblerus. *Et commodiùs. Vbi angelus proximè & continuè moto adest, nullo opus impetu, qui ob defectum præsentiæ motoris in moto Corpore requiritur:* Vbi *illi distat, impetu opus est. Vt cum lapis sursum aut transversìm projiciendus. Sed ut motus ut sic â materiali & immateriali abstrahebat,* t. 39. *Sic & impetus motorius, ad motum n. localem ex se hic ordinatur, & hic indifferens, ac consequenter potentiæ angeli proportionatus esse potest.*

test. 14. An rerum substantias realiter immutare queat? *Ut non producere immediatè*, t. 38. *Sic nec substantialiter convertere potest, nisi quà naturalia aut artificialia, activa passivis, & media producendis applicat. Sic cuprum in aurum beneficio Chymicæ artis, aquam in vinum beneficio vitis aut essentiæ vini Chymicè extractæ convertet.* De transmutatione dæmonum Tract. de Magicis action. c. 7. t. 21. *dicetur.*

44. 15. An vera miracula naturali vi patrare possit? *Non. Hæc n. solus Deus per naturæ suæ vim agit,* Psalm. 72. v. 18. Psalm. 77. v. 15. Psal. 136. v. 4. *Et miraculum propriè est, quod præter & supra ordinem totius naturæ creatæ est. At tale quid à vi naturæ in re creatâ effici nequit. Angeli a. vis naturæ est & intra eam, non infinitæ potentiæ & supra eam. Vi divinâ communicatâ miracula patrare possunt. Sic n. & homines. Et mira potius, miranda, ac mirabilia patrant, quàm miracula, nisi generalius dicta; quomodo interdum nonnulli appellant.* 16. An & vis loquendi alteri angelo in eo sit, & qualis locutio angelica? *Loqui hic est conceptum mentis aut affectum voluntatis alteri manifestare, non præcisè vocem aut sonum lingua efformare. Esse id in angelo* & Scripturâ patet, Esai. 6. v. 3. Dan. 8. v. 16. C. 9. v. 22. Zacch. 2. v. 3. C. 3. v. 4. 1. Cor. 13. v. 1. Apoc. 4. v. 8. Et Naturâ, *quia ad Civilem societatem omninò id pertinet, sensa alteri communicare. Angeli a. socialiter inter se degunt. Ac homines sensa manifestant, idq; perfectionis alicujus est. Non ergò angelis negandum.* Qualis a. hæc manifestatio præcisè sit, difficulter determinatur. Scholastici variant, an solo consensu, an efficientia Physicâ aut morali, an signis spiritualibus, an speciebus fiat? Probabile, *alteri angelo eum impressione speciei intelligibilis tanquam objecti alicujus loqui, alterum*

alterum percipere intuitione istius impressionis per speciem impressam: DEo autem directione actus sui ad eum pro laudando, admirando, aut impetrando loqui. Nihil n. novi & accidentarij DEo imprimi potest, & nihil, quod antea occultum, ei revelari potest. 17. Vis corporea assumendi & vitalia in eis exercendi qualis in angelo? Vdalricus & Albertus *hoc negasse dicuntur. Quanquam ab alijs excusantur.* R. Moses *apparitiones istas per corpora in visione tantùm Propheticâ factas putat. Sed à* Thomâ d. pot. Dei, q. 6. a. 7. *& alijs refutatur.* Assumtio hæc est accidentalis, non Physica, nec hypostatica, *sed quia in illis angelus substantialiter conjungitur & existit, ut motor in mobili, per illud assumptum repræsentatur, eoq; tanquam instrumento ad se manifestandum utitur. Hoc modo nec dæmon in arreptitio aut lamiâ vel nube fulgurali, quam movet, velut in assumpto est, nec angelus in Orbe cæli, quem movere putatur.* Corpora illa *unde desumantur, & an tactu satis semper explorentur, variè disceptatur, ut ex parte ex illis, quæ* Tr. d. Mag. act. C. 4. *dicam, patebit. Et munio expedito vel in nihilum, si ex eo, vel in materiam suam, unde formata, resolvi probabile est. Et Corpora hæc augusta, angelis digna, & minimè fallacia sunt, ac plerumq; humana,* t. 61. *Si à bono angelo assumpta:* Contraria, *si à malo, qui mendaces, futiles, insulsas, ridiculas, & obscoenas figuras interdum objicit.* Vitalium exsertio *per ista corpora* analoga & similitudinaria est, non propria, & Physica ac naturalis. *Quanquam de modo loquendi interdùm hic inter* Scholasticos *contenditur.* Verè *ac citra fallaciam comedit & ambulat angelus in corpore proprietate Grammaticâ & Rhetoricâ, quia non tropicè & per nudam phantasiam ac apparentiam; quomodo Sathanas interdum se variè transmutat, sed in speciem saltem & ap-*

 paren-

parentiam, non veritatem: non tamen proprietate Physicâ & per naturalem immutationem ac digestionem. Sic Christus post resurrectionem verè comedit, non illusoriè & phantasticè: non tamen Physicè. V. Paschal. t. 48. *Itaq; angelus nec intus cibum mutat, nec digerit & concoquit, nec excrementa colligit aut secernit, nec semen sortitur, unde generare possit, ut vulgò sentitur.*

45. 18. An in Corporibus apparens homo dici possit angelus? *Quà externam apparentiam potest; quomodo Scriptura sæpè viros & iuuenes vocat, quia tales apparent,* Gen. 18. v. 2. C. 33. v. 24. 2. Reg. 6. v. 17. Dan. 9. v. 21. 2. Macc. 3. v. 26. C. 10. v. 20. 36. *Quà internam rei veritatem non. Non n. tale corpus ab intrinsecâ essentiali formâ animatur, nec consistenter vnitur, sed extraneè.* 19. An determinata sit vis movens angeli ad pondus mobilis, & velocitatem motionis? *Omninò. Finita n. virtus in eo est, non infinita: Itaq; ad ponderositatem corporis, ut non vires angelicas excedat, Ita totũ terræ globum vix naturali vi mouebit: velocitatem motionis, ne verè ea momentanea sit,* t. 42. *Et resistentiam medij aliaq; impedimenta est determinata, nec angelus pro libitu Corpus quodvis & quovis modo movere potest.* 20. An statum mundi immutare, causasq; naturales impedire possit? Substantailem & universalem statum *& quæ ad eum servandum aut turbandum pertinent, non potest, Vt terram movere, solem sistere, astra à cursu deturbare:* Accidentalem & particularem *in multis potest, in quantum Deus permittit, naturalium ratio fert, et angeli virtus non exceditur. Ita sensus eludere, cadavera mouere, & ut vivere appareant, facere potest:* V. Tr. d. Mag. act. c. 7. & 4. 21. An & tempestates ciere possit? *Interventu naturalium potest, Vt nubes cogere, collidere, igneas exhalationes colligere & elidere, aut materiam*

tempus-

tempestuosam aliunde aliquò deducere & determinare, &c. V. Iob. 1. v.16.19. *Ex se immediatè & sine naturâ eiusq́ medijs non potest,* V. t. 39. *Meteororum enim & tempestatum principalis productio tanquam supremæ Causæ DEo in sacris adscribitur,* Iob. 37. v. 2. 3. seq. C. 38. v. 22. seq. C. 40. v. 4. Psalm. 18. v. 13. Psam. 29. v. 3. 22. An & varia phasmata in aere, ut acies, exercitus, equites, pugnas, exhibere possit? Omninò. *Potest enim materias apparentes coacervare, collidere, apparentiam aliquam & figuram illis conciliare, quanquam & hic naturâ eiusq́ medijs utatur.* V. 2. Maccab. 5. v. 2. Iosephum 7. d. bel. Iud. c. 12. Conf. Castrum l. 1. in Proph. min. c. 17. *Ita de Magis per Sathanam sæpè talia repræsentantibus certum est.* V. Tr. d. Mag. actionib. C. 7. t. 7.

46. Sic & actiuitas angeli fuit: Aeuiternitas est attributum angelicum, quo suppositâ semel angeli existentiâ naturâ sui immortalis & incorruptibilis, adeoq; æuiternus est, ac durationem finitam naturâ sui indefectibilem & incessantem habet, etsi à potestate & principio extrinseco, DEo, annihilari & destrui possit. *De hâc quæritur* 1. An non & à parte ante æternus angelus? *Non, ut* t. 17 *ostensum.* 2. Qualis duratio angelica sit? *Propriè loquendo ævum vel æuiternitas est, non æternitas, hæc solius DEi: Nec tempus continuum aut discretum, hoc n. rebus naturâ sui corruptibilibus competit, angeli naturâ sui incorruptibiles: Nec instans permanẽs, hoc n. similiter defectibile est. E. ævum, quod est duratio creata rerum naturâ sui indefectibilium, quæ initium habere queant, finem ex se non habeant. Per durationem creatam ab æternitate distinguitur, quæ increata: Per rei naturâ indefectibilis à tempore & instante permanẽte, quod rei naturâ defectibilis.* 3. An indiuisibilis

sit & non successiua? Ita *communiter* Scholastici. Bonauentura *tamen negauit, & successiuam asseruit. In se & ut sic duratio existētiæ angelicæ spectata, indiuisibilis dici potest, quia existentia talis, nō successiua. Duratio autem à parte rei realiter ipsa existentia continuata seu permanens est, Vt in Metaphysicis docetur: Et successiva per externam denominationem ad aliud coëxistens dicitur, quod succedit, ut tempus, per cuius coëxistentiam nos indiuisibilia mensurare solemus, non ut in seipsis sunt.* Dices: *Sic* existentia angeli tota simul erit, nullum præteritum & futurum habebit, si nulla successio in eâ. *R. Intrinsecè in seipsâ nihil illorū ibi est, nihil intrinsecè ibi præterit aut de novo advenit: sunt tamen ea in illa per intrinsecam denominationem ad alterius coëxistentiam, ut temporis. Non simul, sed successiuè, iuxta successionem coexistētis, â quâ denominatio sumitur. Sic in æternitate successionem cogitamus ex nostrâ coexistente duratione, etsi in seipsâ nihil eius in eâ.* Dec.1. Misc.d.1.t. 41. 42. *Sed ut ad operationes applicata est, eadem existentia spectata, Sic varia duratio esse potest, prout operationes variant.* Operationes internæ necessariæ, *ut intellectio & volitio suiipsius, nunquam deficiunt.* t. 27. *Eoq; ævo mensurantur:* Liberæ, *ut libera intellectio & volitio, quia indivisibiles, & suaptè naturâ deficiunt, instante permanente:* Divisibiles & *successiuæ, ut motus localis, tempore continuo : discretæ & multæ sibi succedentes tempore discreto mensurabuntur.* Conf.c.l. t. 28.

47. 4. An tempus duratio angeli vocari possit? Ita Biel. 2. sent. d. 2. q. 1. *voluit. Et hæc res ex usu vocis, tempus, pendet. Sumitur ea* generalissimè *pro quavis rernm duratione, Vt & æternitas sic vocetur, Vt* Ramei, Photiniani, & alij *solent, vel pro quauis finita duratione. Sic & æuum angeli tempus erit :* Vel

ſpecialiùs & propriè pro *duratione vel menſurâ eius in re naturâ ſui defectibili. Sic eſt ſpecies contradiſtincta æternitati & æuitati. Angelis a. propriè æuitas competit*, t. 46. *Non ergò temporalitas. Et ſic nec tempus propriè vocari poteſt.* Vt dec. 1. Miſc. c. l. t. 8. & 35. oſtendi. *Nec hæc confundenda, ſed diſtinguenda ſunt. De voce loci ſimile quid eſt.* V. t. 49. 5. An naturâ ſui angelus omninò incorruptibilis & immortalis ſit, an potiùs gratiâ creatoris? Quidam *naturâ corruptibilem aiunt, Vt* Vasquetz, Alenſis, Bonaventura, Richardus, Scotus, aliiq́; Timplerus *ſatis craſsè potentiam moriendi etiam illis aſſignat.* 4. Meta. c. 4. q. 18. *& ſi actu nunquam ex gratiâ DEi moriantur. Alij incorruptibilem dicunt, Vt* Thomas & Thomiſtæ, Dionyſius, Eugubinus, Auguſtinus, Gregorius, aliiq́;. *Res magis* de modo loquendi hic eſt, *quàm reipſâ. De quo nota* 1. Si corruptibile dicatur, quod *à potentiâ creatâ naturali corrumpi vel deſtrui poteſt, angelus naturâ ſui eſt incorruptibilis. A nullâ n. finitâ poteſtate deſtrui poteſt, quia incorporeus & merè ſpiritualis, Cuius neceſſarium cōſequens, incorruptibilem eſſe. Sic de animâ hominis id eſt.* Matt. 10. v. 28. *Magis de angelo.* 2. Si id, quod Phyſicâ corruptione deſtrui poſſit, aut *realem & intrinſecam potentiam habeat, quâ corrumpi queat, eoq́; naturâ ſui inclinet, aut principia intra ſeſe ad coruptionem quotidiè diſponentia habeat, Vt alterationes, contrarias & pugnantes inter ſe qualitates, declinationem naturæ quotidianam, & ſimilia, quibus per ſpontaneam naturæ collabentiam ſuccidere tandem poſſit ac debeat citra ullum externum accedens, Etiam angelus naturâ ſui immortalis eſt,* t. 15. *Nec n. realem potentiam ad corruptionem habet, ſed nudam non repugnantiam ad DEum eiusq́; poteſtatem, ut ab eâ annihilari queat, quæ potentia* obedientialis & Logica, *ac*

aliqua

aliqua repugnantia negatio dici solet, Vt d. 4. dec. 1. Misc. c. 31. *dictum*. Vasquetz *quidem* & alij *realem vocant: sed accuratiùs negatio dicitur. Et quia destructio aliquo modo naturæ & inclinationi naturali angeli repugnat, postquam n. semel est, appetitu elicito naturæ suæ consentaneo perpetuò esse & conservari appetit, influxus divinus conservans naturæ eius quadammodò debitus est, Vt omni causæ secundæ agenti proportionatus DEi concursus*, *etiam* hac ratione perpetuitas essendi naturalis illi est.

48. 3. Absolutè & simpliciter loquendo *angelus immortalis & incorruptibilis dicendus est, non autem inannihilabilis & inconvertibilis*. Prius *n. respectu causarum naturalium dicitur, quibus omninò indefectibilis angelus*: posterius *per respectum ad Deum, quo destrui potest. Quamvis certo censu etiam respectu DEi inannihilabilis & indefectibibilis dici possit, quâ nempè ex naturâ angeli eiusq́ inclinatione id non est, nec ulla potentia passiua realis ad corrumpendum in eo est*, t. 47. *Secundùm suam naturam non potest dissolui à DEo, ut negatio directè voculam, secundùm naturam, afficiat: Non a. suâ naturâ indissolubilis à DEo est, ut negatio directè dissolubilitatem etiam respectu DEi neget*. Naturâ suâ ita DEo subijcitur & ab eo dependet, ut annihilari ab eo possit. Sed receptio annihilationis non est secundùm naturam angeli, sed præter eam. 4. Extrinsecè angelus est dissolubilis per potentiam activam DEi, à quà dependet, *& per quam, sicut esse accepit, Sic & eo privari potest: Non intrinsecè naturâ sui, aut potentiâ aliquâ passiva reali, aut principio corruptionis intrinseco. Absolutè & omni modo solus Deus est incorruptibilis*, 1. Tim. 6. v. 6. *Quodam modo & angelus creatus, quia à naturâ naturatâ, naturanti contradistincta, &*

principij

principijs essentiæ intrinsecis corruptionem timere non habet. 5. Angelus potest dici incorruptibilis per gratiam, *quia ut talis sit, non â se & ex seipso habet, sed ab alio, DEo, ab eo n. esse habet & dependet, & qui ut ex gratiâ creavit, nullo angeli merito, aut Dei debito: Sic & talem creavit, ut incorruptibilis sit: In seipso tamen talis creatus est, ut principia corruptionis internæ in se nulla habeat, & hoc modo etiam per naturam incorruptibilis est.* t. 47.

49. Ita & æviternitas angeli. Alicubitas est attributum angelicum, quo angelus alicubi in certo spatio substantialiter per essentiæ definitionem & designationem activam, ut spatium sibi ipse designet, impartibiliter esse intelligitur & denominatur, non simùl in pluribus spatijs aut ubiq; esse dicitur. *De hoc varia quæruntur.* 1. An verè & non abusivè in loco esse dicatur? Quidam *angelum in loco, ut causam in effectu dixerunt*, Vt Heruæus & alij. *Rectiùs per substantiæ propinquitatem in spatio esse dicitur. Hoc n. naturis finitis competit. Sed istud spatium nec locus propriè dictus, nec Aristotelicus, nec Physicus est, hic enim semper spatium circumscribens: Angeli a. in spatio definiente & limitante sunt, non circumscribente. Corporum proprium circumscribi. Definitivè a. alicubi esse est* opposita species circūscriptivè alicubi essendi, quod in loco esse facit. *Nō ergò propriè locus est, sed* latè *dictus, Metaphysicus, generalissimus, quomodo omne spatium, ubi aliquid est, locus dicitur*, V. Tr. d. ess. al s. 4. t. 41. Strictè *& propriè locus est pro corporibq, spatium definitivum pro spiritibus creatis. spatium infinitum pro DEo. Vt latè* Tr. d. esse alicubi, s. 3. t. 9. 10. seq & s. 4. t. 42. seq. *ostensum. Variaq; loci & spatij angelici sunt discrimina*, Vt s. 3. c. l. t. 30. seq. *patere potest.* 2. An verè per substantiæ ap-

proximationem in spatio sit, non nudam operationem, relationem, applicationem, vel simile? *Omninò. Hoc n.* partim *natura Vbietatis in genere,* partim *spiritualis spiritus finiti requirit,* V. c. l. s. 3. 3. An loco circumscribi dicatur? Ita Timplerus & Goclenius *loquuntur. Et ex Veterib.* Damascenus, Gregorius, Athanasius, & Theodoretus, V. c. l. s. 4. t. 41. *ita solent. Sed admodùm* generaliter *hoc intelligendum, ut idem ac certo spatio definiri & limitari sit, ut rectè* c. l. n. 15. *explicat* Tannerus. Propriè & specialiter *loco circumscribi est opposita species ubicationi angelicæ, eoq́ de angelo non usurpanda.* C. l. t. 43 *Nec anima rationalis loco circumscribi dicitur. Minus de angelo hoc enuntiandum. Et sic rectiùs hoc à* Zanckio d. op. 6. dier. l. 2. c. 11. *angelis negatur.*

50. 4. An necessariò ubi suum intrinsecum habeat, quo alicubi esse intelligatur? *Omninò. Hoc enim formale est, quo aliquid alicubi esse dicitur, Et sine tali formali denominatio ista in re intelligi, & de eâ verè enuntiari nequit, nec cætera, quæ hic assignari solent, satisfaciunt.* V. c. l. t. 18. 19. *Et hoc ubi in angelo à substantiâ ejus ex naturâ rei est diversum, & ab ubietate Entis transcendentali etiam distinguitur.* V. Tr. d. ess. alic. s. 3. t. 33. 34. *Estq́ immediatum fundamentum relationis realis præsentiæ vel distantiæ angeli à locis & corporibus, à quibus per substantiam distans aut indistans angelus dicitur, nec per se à loco vel corpore extrinseco dependet, nec ad illũ respectum transcẽdentalem habet, sed ad spatium vel q. spatium, in quo angelus constituitur.* Per se spirituale est, *eoq́ ex parte subjecti indivisibile:* In ordine ad spatium tamen *ex plurib. partibus velut integratur, & sic per spatium extensum velut extenditur sine ullâ angeli extensione. Sic angelus in spatio adæquato existens minus occu-*

pare

pare potest, & in inadæquato majus, eoq; præsentiam majorem aut minorem in spatio exhibere potest, prout c. l. t. 11. 12. *dictum.*

51. 5. An terminos præsentiæ in spatio angelus habeat? *Indeterminatos habet, quia non in infinitum fundi potest: Determinatos non, majus enim minusvè spatium occupare potest.* V. c. l. t. 13. 14. 6. An divisibilis præsentia dici possit? *Ratione subjecti non, sed spatij & præsentiæ ac partium illius in eo, Præsentia n. partis non est præsentia totius.* c. l. t. 11. 7. An multi angeli simul in uno spatio proprio naturaliter esse possint? *Ita. Nulla enim moles & quantitas est, quæ id impediat, nec dimensionum penetratio hic pertimescenda. Negârunt multi: Sed rectiùs affirmatur.* c. l. t. 21. 22. 8. An & in puncto indivisibili esse possit? Negârunt Alensis, Bonaventura, Bassolis, Aegidius, alijq;. Affirmant Thomistæ, Capreolus, Cajetanus, Molina, Becanus, Tannerus, & alij. *Et hoc rectiùs, quia sine mole & quantitate est,* V. C. l. t. 14. 9. An & in multis spatijs simul divinitùs sisti possit? *Omninò. In corpore n. hoc fieri potest,* Vt. tr. d. ess. alicubi t. 68. seq. s. 4. docui, & Tract. de multipræs. t. 7. seq. *latius deduxi. Minùs in angelo id impossibile judicandum, in quo minora obstacula, Vtpote nec Corpus, nec moles, nec quantitas, nec actualis Circumscriptio.* V. c. l. t. 75. 10. An Vbi prædicamentale angelis tribui possit? Negant Thomas, Cajetanus, alijq;. *Rectius affirmant* Scaliger, Suaretz, Scheiblerus, Tannerus, & alij. *Motus localis enim in angelis,* t. 40. 41. *qui ad ubi prædicamentale vel circumscriptivum vel definitivum pertinet. Plura* d. Ess. al. c. l. t. 33. dicta.

52. 11. An in hoc universo existens in loco externo & corporeo esse dicendus sit? Ita Tannerus, Alensis, Duran-

dus, Suaretz, alijq;. *Meliùs illi coëxistere dicitur, & in eo esse, quod respectu Corporum locus Corporeus est, ipsi tamen angelo non est, quia incorporeus ille, & ubicationis Circumscriptivæ, quæ Corporeorum, non capax*, t. 49. *Nisi quatenùs corpus assumpsit, in eoq́ se repræsentat. Quo pacto in loco externo & corporeo esse dici potest: Aut loci vox latissimè pro omni spatio ubicandi finito sumatur*, c. l. 12. An ubicatio angeli sit idem ac præsentia ejvs? *Vulgò pro ijsdem sumuntur. Sed accuratiùs distinguuntur*, Vt c. l. s. 1. t. 40. seq. Et s. 2. t. 20. seq. *docui*. Vbicatio *prius quid & sine respectu ad externa coëxistentia est*: Præsentia *posterius, & ex respectu ad illa dicitur. Ita & angeli ubicatio prior erit, quàm præsentia: Et demptis omnibus externis coexistentibus angelus in suo πȢ & spatio erit, & esse intelligetur, præsentiam ad alia externa, quæ nulla erunt, non habebit*. 3. An duo angeli simùl in vno loco operari possint? *Negat* Thomas, sed *ex falsâ hypothesi, quòd angelus in loco per solam operationem sit*. Rectiùs affirmatur. *Possunt enim v. g. duo unum Corpus partialiter movere, & sic in uno loco operabuntur*. 14. An sine omni spatio & ubi subsistere possit? *Non. Omne enim, quod est, necessariò alicubi est, non nullibi, Et quod nullibi est, ne est quidem*. V. Tr. d. ess. alic s. 1. t. 6. *Nec ergò angelus sine spatio in universum esse potest, Etsi sine hoc aut illo in particulari esse possit*.

53. Sic & alicubitas angelica: Pluralitas est attributum angelicum, quo numero multa individua angelorum esse intelliguntur & denominantur, non unum tantùm singulare istius speciei indiuiduum esse declaratur. *De hoc quæritur* 1. An reverà multi angeli sint? Auicenna apud *Baconem id negasse traditur*, 2. dist. 11. *Oppositum patet* Partìm Scriptura, *quæ*

râ, quæ multa millia eorum tradit, Iob. 25. v. 3. Dan. 7. v. 10. Matt. 26 v. 57. Hebr. 12. v. 22. Apoc. 5. v. 11. Partim Naturâ, *quæ substantias perfectiores maiore excessu & amplitudine â DEo creatas ostendit vel magnitudinis, Vt corpora cælestia, quæ longè maiora terrestribus, ut terra & aqua cæli comparatione pro puncto Mathematico habeantur: vel multitudinis, Vt substantiæ immateriales, in quibus cum magnitudo molis non sit, multitudinem numeri perfectionem eam super corporea compensare credibile est.* Dices: Numerus est quantitas discreta, ex quanti continui diuisione & distractione exorta, Vt passim Aristoteles docet. E. in rebus non quantis, quales angeli, locum non habet. R. Numerus prædicamentalis & quantitativus *est quantitas eiusq; species, & ex quanto continuo diuiso oritur, ac de eo ut famosiori in Categoriâ quantitatis agit & loquitur* Aristoteles, *ut more suo solet: sed numerus in genere & ut sic, longè latiùs quàm in solis quantis, funditur. Sic in DEo ternarium subsistentiarum, & multitudinem attributorum in distincto conceptu Logico, in Ente ternarium vel senarium attributorum unitorum dicimus, perfectionem, Vnitatem, Veritatem, bonitatem, durationem, & ubietatem,* De ess. ali. s. 1. t. 26. *Quævis distincta alia & alia dicimus, & sic numerum aliquem in illis agnoscimus, etsi omnia hæc â quantis abstracta. Hoc modo numerum Vt sic, etiam* inter transcendentia *agnoscamus, & ad doctrinã Metaphysicam de eodem & diuerso, Vel vno & multo referre possimus. Omnis enim diversitas numerum importare videatur. Ita numerus multitudo ex Vnitatibus aggregata,* præscindendo â quanto & non quanto, ut ad utrumq; indifferenter relinquatur. *Sic res & rei modus numero differunt, Vt vulgò dicitur. Transcendentia tamen hæc, non prædicamentalia. Et nu-*

merus

merus hic non est præcisè de prædicamento quantitatis, Cui nec res nec rei modus subiacent: sed longè altioris ordinis, & rerum naturas imitatur, quæ hic transcendentales sunt. *Ita & in* angelis *numerus & multitudo esse queat, & si non quanti illi, ac proin nec quantitativa multitudo in illis locum habeat.*

54. 2. Quot numero angeli sint? *De hoc nihil certi vel ex Scripturâ vel Naturâ constat, eoq́ inter ignoranda seponendum est.* Aristoteles 12. Metaphy. c. 7. 8. *intelligentias 47. ex motu Orbium posuit. Eum secutus* R. Moses ap. Thomam q. 50. a. 3. *Ex Scholasticis quidam angelos plures statuerunt, quàm homines, Vt* Thomas, Caietanus, Valentia, Vasquetz, Dionysius, Tannerus, alijq́;, *idq́ ex custodiâ hominum deducere volunt: Alij pauciores fecerunt, Vt* Gregorius, Guil. Parisiensis, Augustinus, Anshelmus, Beda, & alij. *Res tota incerta est, & homines spectari, vel ut simul viventes, vel ut successivè se sequentes, possunt.* Priore modo *aliquid ex custodiâ angelorum deducas, si plures uni homini simul custodes: Posteriore nihil. At de explicatione sententiæ* Thomæ *incerti adhuc inter se Scholastici.* V. Tann. c. l. q. 1. d. 6. *Vivamus ita, ut in gloriâ cælesti aliquando inspicere liceat numerum angelorum, tùm beatorum, tùm damnatorum, & in hac caligine quædam nos ignorare non iniquè feramus.* 3. An infiniti sint? *Nequaquam: & si nobis numerus eorum determinari non possit. Infinitum n. actu in naturâ creatâ non datur, nec nisi unicum supra naturam esse potest,* t. 14. *Ac quantuscunq́ rei sit numerus, maior aliquis eo assignari potest.* 4. An in certos ordines & hierarchias divisi sint, & quot illi? Scholastici *hic iterùm variè curiosi sunt, praeunte* Dionysio c. 6. d. coel. hierar. *Si liber verè eius est, de quo dubitare licet, cum nec apud Veteres ulla eius mentio, nec in libro ipso ulla* Pauli

mentio

mentio, à quo Dionyſius *converſus, & doctrinam de ordinibus iſtis hauſiſſe creditur, quod mirum eſſet, ſi iſte verè libri author eſſet: Variaq́ in eo contineantur, quæ longè iunioris ætatis non iniuriâ eum ſuſpectum faciant; Vt alibi docetur: Et* Gregorio M. hom. 34. in Evang. Et l. 7. mor. c. 7. Ac ex Platonicis & Rabbinis *multa horum hauſta ſunt.* Archontici *hæretici olim ſimilia propoſuerunt ap.* Irenæum l. 2. c. 54. 55. *Ex Scri: turâ conſtat, eſſe certos ordines angelorum, diſtinctè n. illa archangelorum, thronorum, poteſtatum, virtutum, & angelorum meminit,* Dan. 10. v. 13. Rom. 8. v. 38. Ephes. 1. v. 21. Coloſ. 1. v. 16. 1. Teſſ. 4. v: 16. Iudæ v. 9. 1. Pet. 3 v. 22. *Sed quot & quales iſti ordines præcisè ſint, nemo hominem novit.* Auguſtinus ſe *iſta ignorare profitetur, eosq́, qui ea dicant, vix ea probare poſſe dicit* l. c. Priſcillian c. 11. & Enchir. ad Laurent. c. 58. Nazianzenus & Biel ei *eos notos aiunt, qui creavit & diſtinxit.* Irenæus c. l. c. 54. Cyrillus Cateh. 11. Nazianzenus. dr. d. Theol. p. 77. *ſimilia habent. In quâ* ἐποχῇ *moderato Chriſtiano tutisſimè ſiſtitur.* Tannerus c. l. d. 5. Auguſtini *dictum probat, ſed* Dionyſium, Gregorium, & Thomam *probabiliter, & ſi non undiquaq́ conſentienter, de hac re diſſerere ait. Quod & ipſum verum eſſe res ipſa oſtendit.* Becanus d. offic. angel. c. 1. ſ. 8. 11. 12. 13. 16. Et Eſtius in C. 1. Colos: incerta, dubia, obſcura, & *ambigua fere omnia hic eſſe fatentur. Quidam* Papiſtarum *Nos diſtinctos angelorum ordines ac officia negre aiunt, quòd* Dionyſij *libros reprobemus. Sed totum id calumnioſum eſſe ex dictis patet.*

55. Sic & pluralitas angeli. Diuerſitas angeli eſt attributum angelicum, quo inter ſe qualicunq; modo diverſi eſſe angeli intelliguntur & denominantur. *De hoc quæritur,* 1. An ſolo numero, non ſpecie differre poſſint? Thomas, Caie-

tanus, Bergomensis, & Heruæus *negant, quamvis* Thomam *etiam in oppositum quidam allegent,* Tann. c. l. n. 19. *Ex falso principio, quòd materia signata sit principium indiuiduationis & differentiæ numericæ, quæ non in angelis* Durandus, Richardus, Alensis, Suaretz, Tannerus c. l. d. 5. Scheiblerus & alij affirmant. *Et rectiùs: Tùm quia nulla hic Contradictio aut repugnantia involuitur, ut & in animâ rationali separatâ patet, & in rebus abstractis propriè cuiusq; essentia singularitatis principum sufficiens esse potest, Vt in* Metaphysicis *docetur:* Tum quia *s. specie differant, sivè minus, quosdam eiusdem speciei numero differre & singulares esse oportet, Vt patet. Nulla n. species est, quæ non individua numero differentia sub se habeat. E. & angeli poterunt numero differre, nec hoc impossibile censendum est.* 2. An & specie differre possint? *Omninò. Nam nec hic ulla repugnantia vel ex parte DEi est, quasi plures angelorum species condere nequierit. Si n. in Corporeorum speciebus id præstitit, Cur in spirituum completorum naturâ id ei impossibile fuisset? Sic in genere avium & piscium infinitæ sunt species essentialiter diversæ. Cur non idem in spiritu completo præstare potuerit, Vt varios in intelligendo modos creârit, ex quibus specificatio nova sumi & intelligi poterit? Et sic communiter fieri id posse* Thomas, Alensis, Gabriel, alij Scholastici *tuentur.*

56. 3. An de facto specie vel solo numero differant? *Specie differe* Thomas & Thomistæ, Aegidius, Alensis, Gabriel, Richardus, Suarez, Vasquetz, Tannerus c. l. alijq;. *Solo numero differre* Parisiensis, Abertus M. Bonaventura, Marsilius, Agentinas, alijq;, ac multi Patres censent. *Vtrumq; probabile habent* Augustinus, Bernhardus, Scheiblerus, alijq;. *Alij inter Angelos unius ordinis, & diversi distinguunt.*

Illos

Illos ejusdem speciei, hos diversæ censent, Vt Becanus & Tannerus. *Alij angelos malos & bonos specie differre volunt,* Vt Damascenus l. d. decret. & placit. c. 7. *Alij totam hanc rem incertam putant, Vt Vasquetz, alijq́. Et hoc in negotio hoc tutissimè. Pro quo sequentia notanda.* 1. Apodicticè *nihil hic decidi aut affirmari potest, sed sufficit, probabiliter constitui posse, Vt in re intricatâ solet. Nec enim vel ex Scriptura vel Naturâ solidi quid suppetit, Vnde immotè concludatur. Si probabiliter ergò quid deducatur, sufficit.* 2. Probabilius est, *omnes omnium ordinum angelos solo numero differre, quàm specie.* Partìm *quia animæ humanæ omnes ejusdem sunt speciei, & solo numero differunt, quantacunq́ subjecta informent, Vt Regum, Principum, aut idiotarum vel lixarum, Et ex analogiâ animæ varia de angelis concludimus,* Vt t. 23. 25. 27. 32. & alijs *patuit. Nec quæ huic argumento obvertuntur â dissentientibus,* Vt Tannero c. l. n. 18. *magni momenti sunt:* Partìm *quia nulla sufficiens ratio dari potest, Cur specierum diversitas in angelis necessaria aut requirenda sit. Quæ enim in Sacris de illis traduntur, æquè in unâ specie, ac diversâ, expediri possunt, Et graduum, ordinum, statuum, qualitatum, & accidentium in substantijs hic discrimen sufficit, non essentiarum,* Perinde *ac cum homines in Archiepiscopos, Episcopos, presbyteros, Pastores, Evangelistas, distinguuntur, Cum specie omnes consentiant:* Ac ipsæ voces Archangelorum, *angelorum, thronorum, potestatum, dominationum, statuum, non specierum discrimina importare videntur:* Partìm *quia multi* Patres *huc inclinant,* Vt Basilius, Nyssenus, Athanasius, Damascenus, Anshelmus, Vt Tannerus & Becanus *concedunt, Multiq́* Scholastici *specie differre negant, Vt ante visum:* Partìm *quia angeli mali â bonis non differunt specie, sed*

accidentibus, Vt Scholastici concedunt, V. Tannerum c. I. q. I. d. q. n. 13. *At inter hos major differentia & oppositio, quàm bonos diversi ordinis, Vt patet.* Cur ergò *in his specierum præcisè discrimen urgeatur? Deinde & magna inter bonos consensio est*, t.64. *Hæc a. meliùs in una specie, quàm diversâ est.* Dices: Si possibiles sunt plures species in angelis, ad perfectionem mundi faciet, ut de facto in mundo sint, secùs mundus multis speciebus carebit, & sic imperfectus erit. *R. Ad perfectionem mundi hoc pertinebit, si scilicet* ipsi debitæ sint. *Perfectum n. est, quod habet omnia sibi debita, non præcisè quovis modo possibilia*, t.3. *Non autem ipsi sunt debitæ plures angelorum species. Vnde n. hoc esset?*

57. Sic attributa angeli fuerunt: Officium vel generale omnium est, *quod in ministrando est, ut ministri Dei sint*, Heb. I. v. 14. Sed diversimodè, *quidam in bono & gratiæ, vel interdùm etiam iræ, ut boni*, alij *in malo & iræ, ut mali. Omnes Deo ministrant vel in gratiam, vel iram. Boni ut tutores, mali ut carnifices. Illi ut manus DEi dextra, hi ut sinistra. In genere ministerij cum bonis sunt ministri*, Job. I. v. 6. I. Reg. 22. v. 19. *In executione specialis & specialiter Deo grati ac placentis officij non. Sic n. opus Dei alienum peragunt, punire*, Esa. 28. v. 21. *Boni proprium, benefacere. Sic boni specialiter ministri Dei dicuntur*, Psalm. 103. v. 21. *Sic Assyrius instrumentum Dei*, Es. 10. v. 5. *Et David*, I. Sam. 13. v. 14. Act. 13. v. 22. *Sed in specialibus munijs valdè diversi*: Vel speciale quorundam, *ut bonorum aut malorum, quod ex speciebus angelorum* t. 58. *patebit.* Effecta angeli sunt actus ab illo prodeuntes, & in terminum aliquem directi. Suntq; interni in ipso angelo terminati, *Vt intellectio, Volitio, electio*, t. 23. seq. Et externi, in

alium directi, *Vt locutio angelica, Corporum assumptio, & quorundam per ea exsertio*, t. 44. *Variorum commotio, tempestatum excitatio, substantiarum & qualitatum per naturæ applicationem productio, mirorum patratio, & similia, quæ ex* t. 38. & seq. *patent.* Denominatio est, quâ angelus certa nomina habet, quibus appelletur & distinguatur, & si ea magnam partem nobis sint incognita, Deo tamen ac angelis ipsis notissima esse possunt. *Quorundam nomina in sacris sunt revelata, Vt Gabrielis, Michaëlis, Raphaëlis, Vrielis, Ieremielis, Sealthielis, Cherubinorum, Seraphinorum, &c. Vt ex* Daniele, Apocalypsi, Tobia, 4. Esdræ, Esaiâ, patet. Cœterorum, *quomodo se habeant, latet. Quæ in specie producuntur, ad hominibus magnam partem sunt conficta,* Vt Judæis, Rabbinis, Platonicis, & Christianis *nonnullis, ac ne curiositati humanæ hic fores aperiantur, de illis potiùs silendum, quàm agendum & disceptandum erit.*

58. Divisio angeli est, quâ vel ex accidentibus, vel ordinibus dividitur. Ex accidentibus angelus vel bonus vel malus est. Ille Eudæmon, hic Cacodæmon dicitur. Bonus, qui in sanctitate concreatâ perstitit, eoq; in eâ ita â Deo ejusq; gratiâ confirmatus est, ut ampliùs ab ea deficere ac peccare nequeat, sed plenum obsequij sui præmium, æternam beatitudinem, nactus est. *De hoc quæritur.* 1. Qualis hæc sit divisio? *Non generis in species essentiales, Talis enim diversitas hic non,* t. 56. *Nec substantiæ in modos substantiales, substantialiter & ex primâ creatione ipsi concreatos, quasi angelus malus substantialiter & naturâ sui malus sit, nec n. ullum ens ita malum,* t. 21. *&* 65. *Sed subjecti in accidentia & status accidentales, quà ex propriâ malitiâ quidam in peccatum consenserunt, & sic mali facti sunt, alij in bono persliterunt, & sic boni manserunt,*

itaq; boni & mali denominantur, illi ab intrinseco concreato, hi ab extrinseco malitiosè ascito. Omnes ortu sunt boni: quidam defectu & proprio motu facti sunt mali. Defectione tales, non creatione, & ab apostasias termino malorum appellationem habent.

2. An & naturæ lumine sine Scripturâ divisio ista constet? *Aliquid de eâ constat, ut ex diversis operationibus & effectibus angelorum, quæ observari possunt, colligitur. Quosdam n. dæmones s. angelos homines decepisse, mulieribus imposuisse, varia phantasmata excitasse, ad scelera instigasse, veneficijs causas dedisse, variamq; impietatem exercuisse, alios autem beneficos fuisse, miseris opem tulisse, homines sublevasse, & pericula avertisse, compertum fuit. Et sic dæmones non unius generis esse perspectum fuit.* Vnde & gentilibus Angelorum in bonos & malos divisio cognita, Vt ex Socrate, Platone, & Poëtis gentilibus Cyprianus ac Eusebius *deducunt.* Obscura tamen & partialis *hæc cognitio fuit, non aperta & totalis. Nam & unus idemq; angelus, quantum ex naturâ colligi potest, modò benè, modò malè operari potest; Vt non sufficiens hinc discrimen pateat: Et gentiles quæ hic habuerunt,* à Judæis, *quibus Scripturæ lumen fuit, multa desumpserunt, ac fabulis ac mythologijs suis more suo involuerunt, Vt alibi pluribus docetur.* Plenior & distinctior *rei cognitio ex Scripturâ hauritur.*

59. 3. Qui factum, quòd angeli quidam ab integritate desciverint, alij ea perstiterint? *Naturâ omnes sancti creati, t. 21. Et gratia DEi sufficiens ac efficax omnibus adfuit, nec absolutum aliquod Dei decretum reprobans circa quosdam hic ostendi potest, Quorsum* Zanchius, Alstedius, Keckermannus, Pareus, Bucanus, & pleriq; Reformatorum *recurrunt, Nec id DEi naturæ consentaneum est:* Sed liberi arbitrij, *in quo conditi, usus,*

applicatio

applicatio, & abusio. Boni eo in bono benè usi, & sic gratuito DEi bono bonum usum & perseverantiam compensantis confirmati: Mali liberè in malo abusi, & sic à bono lapsi, & in malum inducti. Id Scriptura de prolapsu angelorum agens insinuat, Vt 2. Pet. 2. v. 4. Iudæ v. 6. *quod sponte stationem suam reliquerint, & à perfectione in nequitiam desciuerint.* 4. An post confirmationem in bono ita sancti sint, ut peccare amplius non possint, sed perfectè beati sint, & intuitivè DEum in cœlis videant? *Affirmativa communis* Scholasticorum & Theologorum opinio *est, & probatur* Partìm *ex Scripturâ*, Matt. 22. v. 30. *Vbi in futurâ vita* ἰσάγγελοι *dicimur: Tum a. & peccatum & mors absorpta erunt, ut & impeccabiles & immortales futuri simus,* 1. Cor. 15. v. 26. 45. seq. Luc. 20. v. 30. Apoc. 21. v. 4. *Et ubi mors abolita est, ibi & peccatum abolitum, cum huius ineuitabile stipendium mors sit,* Rom. 6. v. 23. C. 5. v. 12. seq. Et Matt. 18. v. 20. *Vbi semper faciem Patris coelestis videre dicuntur, non solùm quòd DEo adstent, & iussa eius exspectent, ut* Arminius *excipit: sed quòd & in perfecte beato statu sint, qui visione Dei in sacris describitur,* Psal. 17. v. 15. 1 Ioh. 3. v. 2. *Indeq; argumentum non contemnendi infantes sumitur, quòd tantæ eminentiæ & status spiritus custodes habeant, etsi ipsi ut parvuli nullius momenti esse videantur. Talis a. status non est, ubi potentia peccandi adhuc adest. Similia* Marc. 8. v. 30. *Vbi sancti,* 2. Cor. 11. v. 14. *Vbi filij lucis dicuntur,* Heb. 12. v. 23. *Vbi animæ spiritus iustorum perfectorum dicuntur, quomodo non vocantur, qui peccare amplius possunt. Magis ergò de angelis beatis id præsumendum, quòd peccare nequeant:* Partìm *ex fidei analogiâ, ut perfectâ imaginis divinæ in nobis restitutione, status beati completâ perfectione, & DEi ac Christi excellentiâ, qui prorsùs impeccabiles*

biles, & quibus in futurâ vitâ nos similes erimus, Philip. 3. v. 21. 1. Ioh. 3. v. 2 *Si de nobis id futurum est, Cur beatis angelis id denegetur, quibus nos similes futuri dicimur,* Matt. 22. & Luc. 20. *DEum n. videre sequi solet amare & laudare. Et semper videre, amare ac laudare, non admittit posse peccare, eumvè offendere. Ad negantem inclinant* Origenes hom. 13. in Luc. c. 2. Arminius in declar. sentent. a. 20. Et resp. ad artic. 31. alijq;. *Cæteri tamen* Arminiani *confirmationem bonorum angelorum non negare videri volunt in* Act. Synod. ad artic. 4. p. 140. 141.

60. 5. An, si peccare nequeant, libero arbitrio exuti sint? *Nequaquam, etsi libertate contrarietatis careant, quæ ad omnem libertatem non necessaria. Sic DEus liberrimus, absolutè tamen ex perfectione naturæ impeccabilis: Angeli tales ex gratiosâ DEi in bono confirmatione.* V. t. 36. 6. Quomodo faciem Patris in cælis videre dicantur, cum in terris infantibus adsint, Matt. 18. Nec simul in Cælis & terra adesse possint, t. 51.? *Quia in cælis in cœlesti & beato statu esse notat, ut aliàs sæpè in sacris, in quo esse, & ratione spatij simul in terris pueris inservire angeli possunt, Vt in duobus locis simul eos esse nihil necesse sit.* 7. An, cum peccare nequeant, obedire Deo dici, & præmio ac laude digni esse censeri possint? Arminiani c. l. id *negant. Et si obedire eo modo sumatur, quo homines obedire dicuntur, qui & repugnare DEo possunt, & factis interdùm repugnant, adeoq; præmijs & pœnis ad obsequendum flectuntur & incitantur; non obediunt, non n. repugnare possunt: Si a.* generaliter *pro subordinari, consentire, paratum esse, & alacriter iussa exequi sumatur, omninò sic dici possunt. Quomodo & bruta ac inanimata DEo obedire, & cum gaudio mandata eius perficere in Sacris dicuntur,*

cuntur, Iof. 10. v. 13. Siraci: 39. v. 34. 37. C. 42. v. 24. Matt. 8. v. 27. Marc. 4. v. 41. Luc. 17. v. 6. Laus a. *in benefactis est, etiamsi malè facere non possis. Sic DEus super omnia laudandus, & si malè agere nunquam queat.* Sirac. 43. *Præmio etiam digni sunt angeli boni, quia olim libertate suâ benè usi sũt, cũ peccare & à bono desciscere potuerunt, nec fecerunt*, t. 59. *De confirmatione bonorum angelorum plura curiosa movent* Scholastici: *Sed quæ satius est siluisse, quàm disceptasse. Vt*, An in beatitudine supernaturali, an naturali tantùm creati fuerint? An in primo creationis *instanti gloriam acceperint?* Quanta *mora inter creationem & glorificationem?* Quanta *angelorum gloria?* An *in eâ proficere & ab eâ deficere queant?* An *statum suum perseverantiæ præviderint?* An *quædam mysteria post gloriam per visionem beatificam cognoscant?* An *de novo per revelationem quædam cognoscere possint?* Qualis *cognitio eorum matutina, meridiana, & vespertina sit?* Quomodo *per ordines suos in gloriâ dispositi?* Per quos *& quot actus gloriæ consecutionem promeriti sint? Et quæ* similia *sunt, de quibus vix satis certa cognitio hauriri potest.*

61. 8. An contra angelos malos boni depugnent? *Affirmativa ex* Dan. 10. v. 13. Iudæ v. 9. & Apoc. 12. v. 7. *probari solet. Sed alij* Dan. 10. *de Cambyse Cyri filio*, Apoc. 12. *de Heraclio, Constantino M. vel ipso Christo explicant.* Communis *sententia vera est, Et ex locis citatis, ac officio bonorum proprio, reliquaq́; boni & mali angeli repugnantia optimè colligitur, & communi* Patrum & Scholasticorum *suffragio nititur.* 9. Quod eorum officium? *Coram Deo consistunt, Homini assistunt, Diabolo resistunt.* Respectu DEi *inserviunt ei glorificando, religiosè invocando, & jussa ejus promptissimè expediendo:* Respectu sui

diligunt,

diligunt, juvant se, & necessaria sibi revelant. Respectu hominum *tuentur juvantq́ eos in* Choro *& statu Ecclesiastico,* Num. 22. v. 22. seq. Zacch. 3. v. 7. *In foro & statu Politico,* Judic. 6. v. 12. 2. Macc. 10. v. 29. C. 11. v. 8. *In thoro & statu Oeconomico,* Gen. 16. v. 7. C. 24. v. 40. Matth. 18. v. 10. *Tàm in vitæ exordio, quàm periodo, & exodio, tàm mala culpæ prohibendo, quàm à malis pœnæ custodiendo : Idq́* varijs modis, *quorum tredecim enarrat* Tannerus c. l. n. 23. Respectu Sathanæ *resistunt ei, & à violentiâ ejus pios asserunt. Ac totum suum ministerium promptè, sanctè, & constanter expediunt. Exempla ex Historicis* ap. Stuckium d. angelis p. 111. seq. Zuingerum Vol. 2. l. 3. & 4. Vel in aliâ edit: Vol. 17. l. 2. Beyerlingium T. 1. Polya: Voc. Angelus, p. 424. seq. aliosq; vide. 10. Cur Deus ministerio angelorum utatur, Cum ipse satis per omnipotentiam suam defendere homines possit? *Partìm ut infinitam suam in homines bonitatem ostendat* : Partìm ut *infirmitatem nostram sublevet, amicitiæ fœdus inter homines & angelos confirmet, incarnationem filij in V. T. præfiguret, gratiosam sui hominibus inhabitationem demonstret, humilitatis studium commendet, & ordinariè se per media in mundo agere doceat.* 11. Cur tàm promptè id angeli exequantur? Partìm *Vt DEi mandatis pareant, partìm ut Christo Regi suo & nostro officia exhibeant, ruinam cœlestis Hierosolymæ instaurare juvent, & caritatem suam erga pios declarent.*

62. 12. Cur plerumq; humanâ formâ appareant? *Quia similitudo mater amicitiæ, & favorem suum erga homines sic declarant, Christi incarnationem adumbrant, ac membra humana commodissimè proprietates angelicas declarant, Vt aures acrimoniam, oculi perspicaciam, manus potentiam, pedes celeritatem,*

pectus

spectus firmitatem & fortitudinem &c. Sathanas contrà horridis & insulsis formis sæpiùs se repræsentat, t. 44. 13. An & quandoq; DEus per eos puniat impios? *Omninò. Quod ex* Gen. 19. v. 13. & 2. Sam. 24. v. 15. *patet, qui angeli boni fuerunt, Vt ex Circumstantijs textus colligitur. Idemq;* Patres, Vt Dionysius, Theodoretus, Basilius, Apollinaris, alijq; *docent. Quamvis magis ordinarium id munus malorum angelorum esse videatur.* 14. Quomodo super peccatore resipiscente gaudere angeli dicantur? Luc. 15. Spiritualiter *nempè, ob hominis ipsius felicitatem, cœlestem societatem auctam, culpam destructam, gratiam amplificatam, Sathanam confusum, iram Dei compositam, Ecclesiam reparatam, cœlum exornatum.* 15. An homines convertere possint? Interior *mentis illuminatio, & virium spiritualium communicatio hic requiritur, quæ à Deo expectanda,* Jerem. 31. v. 18. *Non creaturâ. Media tamen tanquam instrumenta aliqua hic adhibere possunt, quibus ad Conversionem homo deducatur. Vt verbum revelare, proponere, suadere, consulere, flectere, & ad assensum invitare.* 16. An præsides provinciarum sint? *Affirmant* ex Patribus Origenes, Ruffinus, Hieronymus, Dionysius, Epiphanius, alijq;. Ex Scholasticis Thomas ac Thomistæ *communiter*, Tannerus, Valentianus, Becanus, alijq;. *Contradicit tamen ex ijsdem* Cajetanus, *& res ex Scripturâ incerta est. Pugnare ipsos pro provincijs easq; tueri ex* Dan. 10. *satis apertum.* Sed an uni præcisè & soli tutela provinciæ commissa, an pluribus, an per successus varijs angelis id à Deo committatur, an certis regnis certi & destinati angeli præpositi sint, *non ita patet, eoq; temerè nihil hic definiendum, sed potiùs illud Veterum,* Non liquet, Amplio, adhibendum. 17. An sphæras cœlestes cir-

cumrotent? *Communis hac* Platonicorum, Aristotelicorum, Stoicorum, Scholasticorum, Jesuitarum, Vt Conimbricensium, Pererij, Ruvij, Barradij, Bessaei, quorundam Reformatorum, Vt Martyris, Aretij, & Rabbinorum, ut Mose Maymonidis, *& aliorum est sententia. Sed nec ex Scriptura nec Natura solidi quid hic constat, cum stellæ ipsæ in Cœlo jussu Dei moveantur*, Gen. 1. v. 14. seq. Jos. 10. v. 12. 13. Job. 38. v. 32. Psalm. 19. v. 6. 7. Jer. 31. v. 35. Syr. 43. v. 2. 5. V. t. 4.

63. 18. An Christo mediatore opus habuerint? Affirmant ex Pontificijs Valentia, Wiegas, Ex Reformatis Bucanus, Aretius, Alstedius, alijq́; *Verius contrariũ, si Mediatoris vocem propriè sumamus. Scriptura n. Christũ hominũ mediatorẽ vocat*, 1. Tim. 2 v. 5. *Et hominibus datum ac natũ dicit, non angelis*, Es. 9 Luc. 2. *Nec eorum semen assumpsit*, Heb. 2. *Et hoc typo Mosis respondet, qui hominum, non angelorum Mediator fuit*, Deut. 18. *Nec, si Adamus non peccasset, Christus incarnatus, passus aut mortuus fuisset, nec mediatore eo indiguissemus, Nec ob angelos in carnem venisset. Reconciliavit quidem omnia Christus, etiam quæ in cœlis*, Ephes. 1. & Colos. 1. *Sed quia angelos cum hominibus in conjunctionem reduxit*, Hebr. 2. v. 22. *Non quòd DEum ipsis ex infenso placatum reddidit, ut hominibus, quorum inde Mediator dicitur.* Heb. 2. v. 14. 15. Atq́; ita ex Papistis Becanus, Thomas, Paludanus, Durandus, Tapperus, alijq́;, Ex Reformatis Rainholdus, Ravenspergerus, & alij rectiùs negant. 19. An cuilibet homini unus certus angelus tutelaris à Deo sit assignatus? Patres & Scholastici *communiter affirmant* ex Tob. 5. Matth. 18. & Act. 12. *Eos quidam* Reformati alijq́; *sequuntur. Incertum hoc est. Possunt plures interdum pijs assignari, Vt ex* Gen. 24. 31. 2. Reg. 6.

Dan. 3. Psalm. 34. & 91. Et Luc. 16. *patet*: Potest *unius opera circa aliquem eminere, & potest unus interdum circa totum aliquem cœtum excubare, nec ex Scripturis satis firmiter aliquid hic constitui potest.* 20. An & Christus in hac terrâ angelum custodem habuerit? *Non, sed ministrum vel ministros*, Mat. 4. *Custode non eguit, qui ipse omnia Verbo potentiæ suæ portavit*, Heb. 1. v. 3. *Etsi in extremâ exinanitione ab angelo se confirmari passus sit*, Luc. 22. v. 45. V. Passionalia, t. 36. *Et sic promissionem angelorum custodum cum alijs pijs habuerit*, Psal. 91. v. 11. Matth. 4. v. 6. 21. An & primi parentes angelo custode eguerint, Cum sancti & integri essent? *Omninò, Quia & naturâ sui peccabiles erant, & peccato succumbere, & â Diabolo tentari ac superari poterant, Quod postea actu factum est.* 22. An & AntiChristus eum habeat? *Si nulli homini, quamvis malo, angeli negantur, nec AntiChristo negandi illi, & si reprobus & filius perditionis ipse. Sic perditissimi latrones, scurræ, tyranni, Vt* Nero, Caligula, *angelis custoditi, nec generalem gratiam cuiquam Mortalium DEus negare solet. Ac ad majorem ipsorum damnationem hoc cedet, quòd ne istud quidem beneficium Dei agnoverint, & grati pro eo fuerint.* 23. An ordines eorum in Christi ascensione per Christum immutati sint? Ita Photiniani, Socinus, Smalcius, alijq; ex Colos. 1. *Sed ibi de creatione, non immutatione sermonem esse tota textus connexio sufficienter docet*, v. 15. 16. *& de reconciliatioue* v. 20. seq. *demùm agitur.* 24. An & quinam eorum ordines sint? *Totum hoc incertum est, & si ordinem inter eos esse constet.* V. t. 54.

64. 25. An intereos dissensio esse possit? *Affirmant* Patres & Scholastici *quidam ex* Dan. 10. v. 13. & Iob. 25. v. 2. *Quod de bonis angelis explicant*. Gregorius in c. 25. Iob. *dubium istud*

movet & solvit, quòd dissentire videantur, cum subiectorum mores sibi adversari aspiciunt. Rectius sub formali dissensionis & voluntate absolutâ discordiam inter eos nunquam esse posse dicitur, Omnes n. voluntati DEi sua conformant, & inter se summo amore degunt, nec peccare amplius possunt, t. 59. *Discordia a. species peccati concordiæ contraria est: Etsi materialiter & conditionatè, si Deus vellet, aut fieri posset, diversa interdum & materialiter opposita velle possint, quamdiu voluntas DEi in aliquam partem non est comperta.* 26. An in ministrantes & assistentes justè dividantur? *Ita* Patres & Scholastici *communiter. Sed ex* Scripturâ Canonicâ vix *id colligitur, ubi omnes administri,* Heb. 1. Psal. 103. dicuntur, Etsi ex Tob. 12. & Rabbinis *horum aliquid deducatur. Vnde & ex* Papistis *recentiores nonnulli parum distinctioni isti fidunt, Vt ex* Suaretzio *adducit* Tannerus c. l. d. 8. n. 9. Et Corn. à Lapide in c. 7. Dan. v. 10. Et Hebre. 1. v. 14. ac Sanctius in c. 7. Dan. *aliiq́; apertè fatentur. Nec assistentes ita intelligendi, q. nunquam ministrent: Sed quòd maximè in conspectu DEi assistant, interdum tamen etiam in ministerium emittantur.* 27. An religiosè inuocari ab homine possint? *Ex veteribus* Angelici, Plato & Platonici, Apuleius, Simon Magus & Simoniani, Patres nonnulli, *Ex hodiernis* Scholastici quidam & Pontificij *affirmant.* Photiniani in *V. T. id licitum habent, non Novo. Vtrumq́; contra Scripturam est, religiosum cultum nulli supposito, nisi naturâ divino, concedentem,* Deu. 6. v. 13. Psal. 50. v. 15. Matt. 4. v. 9. Gal. 4. v. 8. Colos. 2. v. 18. *& angeli ipsi invocationem prohibuerunt,* Apoc. 19. v. 10. & C. 22. v. 8. 9. *Nec in V. T. religiosi quid sibi offerri siuerunt, sed Deo offerendum iusserunt,* Iudic. 13. v. 16. *Et si uspiam adorati leguntur, Civilis cultus fuit, non religiosus.*

Gen.

Gen. 19. v. 1. *Ac oppositum idololatriam vel semiidololatriam vel idololatriam per accidens & analogicam introducit, quod de se dici non facilè ferent* Papistæ. *Ac multi* Papistarum *invocationem sanctorum apertè reiecerunt, ut* Synodus Parisiensis, Claudius Taurinensis, Brusius, Taulerus, alijq; ut *pluribus* L. 2. d. simpl. fidei C. 4. t. 19. *docebo. Honorari possunt à nobis angeli boni, ut intellectu nobilitatem essendi agnoscamus, affectu reuerentiam debitam illis exhibeamus, actu mandatis aut monitis obsecundemus, & vitâ Sanctitatem eorum exprimamus & imitemur: Religiosè inuocari non possunt. Et hoc* Patres Veteres *magno consensu docent.* V. latè Stuckium d. angelis, p. 133. seq.

65. Sic de angelo bono *fuit*: Malus est, qui à concreatâ sanctitate liberè & malitiosè defecit, benè amplius velle ac agere nequit, Sed perpetuus DEi, angelorum, ac hominum hostis est, ac apostasias suæ præmium, æternas inferni poenas, justo Dei iudicio nactus est. *Dicitur & dæmon, Diabolus, & Doricè Zabolus, Vnde* **Rübenzabel**, *spectrum in montibus Riphæis, de* quo dec. 2. Misc. d. 1. t. 23. dixi, *Sathanas, malus genius, Et Tropicè leo rugiens, Draco antiquus, Belial, Deus huius seculi, Venator, &c. De hoc* quæritur 1. Quare à sanctitate concreatâ defecerit? *Sanctum creatum fuisse* t. 21. *dictum. Causa defectionis non DEus aut absolutum aliquod reprobationis decretum, ob quod eum in peccatum prolabi necessum fuerit, nec angelus bonus, nec mandatum aliquod particulare, nec gratiæ Dei sufficientis aut efficacis negatio, nec simile quid, Sed libera voluntatis ad malum inclinatio & determinatio fuit. Cum bonum eligere potuerit, liberè à bono ad malum deflexit, malumq; ipse patravit, & hominibus patrandi primus suggestor & motor extitit: Sanctus quidem fuit, Sed tamen mutabilis,* t. 21. *Eoq; à sancto desciss-*

desciscere potuit. Conf. t. 59. 2. Quanto durationis ſpatio in bonitate perſtiterit? *Scholaſtici Varia iterum hic mouent, & de morulis ac vijs angeli mali diſceptant, quibus ad apoſtaſian pervenerit.* Quidam *in primo inſtanti creationis, Vt* Eugubinus & Theodorus, alij *ſecundo peccaſſe aiunt, Vt* Thomas, Auguſtinus, & Thomiſtæ *communiter.* Quidam *etiam in primo inſtanti abſolutè peccare potuiſſe aiunt, Vt* Scotus, Ariminenſis, Baſſolis, alijq;. Alij *id negant, ut* Hugo, Thomas, Albertus, Alenſis. *Omnia hæc curioſa & incerta ſunt, nec ex Scripturis determinationem habent, & lumen Naturæ ad tanta ſpecialia in ſpiritualibus materijs decidenda deficit. Hoc ex ſacris conſtat, moram non ita longam inter creationem & defectionem interceſſiſſe.* An inſtantibus ea conſtiterit, & quotnam, *noſtrum non eſt indagare, & determinare vanum eſt.*

66. 3. An poſt hominis lapſum demùm lapſus fuerit? Irenæus *in ipſâ hominis ſeductione,* Iuſtinus, Clemens, Lactantinus, & Tertullianus *Noë temporibus ex libidine lapſos malos angelos putant. Sed hæc omnia contra Scripturam ſunt. Sathanas in paradiſo cauſa primis parentibus fuit â Deo deſciſcendi. E. ipſum iam antea defeciſſe oportuit. Quod n. cauſa alicui in aliquo genere eſt, ipſum prius in eo eſſe oportet.* 4. An primus peccantium abſolutè ſupremus omnium angelorum fuerit? *Ita multi* Patres & Scholaſtici *communiter. Sed incertum hoc totum eſt. Quare* Damaſcenus *negat,* & Suaretz ac Vasquetz *incertum, nec magnoperè ſuper eo contendendum eſſe, ac Michaëlem inter bonos parem ei fuiſſe cenſeri poſſe iudicant.* V. Tanner. c. l. d. 3. n. 17. 5. Quot angeli peccârint? *Et hoc incertum eſt. Multos fuiſſe certum, quia multi Diaboli ex iſto caſu facti, & â ſupremo exemplo, ſuaſione, ac irritatione cæteros ſeductos eſſe credibile*

dibile est. Ex diuersis etiam ordinib aliquos cecidisse, ac simul omnes peccasse probabile est, Varios enim ordines Diabolorum Scriptura insinuat, t. 70. *Plures tamen in bonitate perseverasse, quàm desciuisse, adeoq́ plures angelos bonos, quàm malos esse, verisimile est. Ad maiorem enim Dei gloriam maiusq́ hominum solatium & commodum hoc facit, plures Dei ministros in bono & defensores, quàm malo & Carnifices esse. Velut bono principi dedecus est, plures habere Carnifices, quàm Satellites.* 6. Quale & quantum primum angelorum peccatum fuerit? *Variæ hic sententiæ.* Scholastici & Patres *communiter superbiam dicunt ex* Sirac. 10. v. 15. & Iob. 41. v. 25. Alij *invidiam & odium faciunt ex* Sap. 2. v. 24. Alij *libidinem, Vt* Origenes & Tertullianus, alij *nimium sui ipsius amorem, Vt* Scotus & Gabriel. *Scriptura non satis distinctè hæc tradit, nec nos omnia ad unguem resecare in talibus expedit.* Superbia *tamen maximè probabiliter statuitur, nam & in excellenti naturâ maximè procliuitas ad maiorem excellentiam, tanquam obiectum sublimi naturæ cōvenientissimum esse potuit, & carnali peccato se polluere nequijt, & immediato in Deum odio â primo statim peccandi initio, nullo pravo affectu alio præcedente, ferri difficile tàm eximiæ naturæ fuit. Ac grauissimum istud peccatum fuit* Partìm *ex Obiecto, quia in Deum eiusq́ æqualitatem latum,* Partìm *ex subiecto, quia âsummâ & sanctissimâ naturâ creatâ commissum, quæ ex tali facta ingratissima & nequissima,* Partìm *ex modo, quia pleno intellectu, voluntate, consilio, & pertinaciâ patratum,* Partìm *ex fine, quia ex sceleratissimo fine susceptum, Vt DEum creatorem solio deturbarent, se in illud sublimarent, & creaturam creatori parem facerent,* Partìm *ex duratione & adiunctis, quia in perpetuum tale manet, nullo medio aut remedio tolli vel sanari potest, Et farraginem variorum*

riorum vitiorum, ut invidiæ, odij, mendacij, apostasiæ, junctam habuit. Quodnam autem superbiæ istius obiectum in specie fuerit, an appetitus essentialis diuinitatis, an æqualitatis tâ-tùm & excellentiæ, an vnionis hypostaticæ cum DEo, an jnvidia in humanam naturam, quòd eam aliquando ita vniendam cognosceret, jlludq; præcauere vellet, an despectus Christi hominis, quem ita DEo vniendum aduerteret, an *beatitudo naturalis vel supernaturalis*, an *imperium divinum*, an *dominium maius ac prælatio*, an *aliud quid, de quo fusè* Scholastici *tricari solent*, omnia incerta sunt, *nec ex sacris sufficienter decisionem habent, Eoq; variæ hic sententiæ, & specialem horum rationem constare non posse fatetur* Tannerus c. l. d. 4. n. 11. *Ac si rationem consulas, mille modis peccatum istud variari potuisse* Idem n. 13. *concedit, Vt parum certi hinc desumi queat. Qui,* Vt & Valentia, Becanus, Suaretz, alijq; *pluribus hic consuli possunt.* Benè Lutherus in C. 1. Gen. Certum est, angelos lapsos esse. Quomodo id factum sit, nescitur.

67. 7. An ex inadvertentiâ lapsi fuerint? *Non, sed destinatâ malitiâ. Cognitio enim angelica in statu naturæ & perfectionis longè sublimior humanâ, eoq; inadvertentia locum in eâ non habet,* t. 35. *Et* vel *culpabilis fuisset illa inadvertentia, Sic primum peccatum fuisset:* Vel *non culpabilis, sic peccatum ex eâ oriri non potuisset, Nec tam severè punitum fuisset istud peccatum, si tantùm ex incogitantiâ profectum. Et utcunq; intellectus rectè se habeat, voluntas per libertatem suam ad ea flectere se potest, quæ intellectus maximè scelerata judicavit, Nec necessariò à judicio intellectus practico determinatur,* Vt Dec. 3. Miscell. d. 2. t. 11. 12. ostendi. 8. Cur Deus non impediverit istud peccatum? *Quia intellectualem creaturam creaverat angelum, eoq;*

libertate

libertate suâ eum uti, liberamq́; ejus obedientiam probare & elicere voluit, nec lege aut naturæ necessitate per vim impedire tenebatur. Moraliter *satis impedijt, quia sanctam, justam, perspicacem, & sapientem condidit, quæ satis à lapsu sibi præcauere potuisset, si voluisset.* 9. Cur à peccato non liberârit eos, Vt homines? *Quia pleno consilio & malitiâ lapsi erant, non ad labendum ab aliâ specie inducti & seducti, Vt homo. Nec tota species eorum peccato corrupta erat, Vt humana, & homo carne ac affectibus carnis præditus erat, qui facilè seduci ac superari poterat. Non ita angeli. Eoq́; justo DEI judicio in peccato relinqui in poenam tàm horribilis apostasiæ merebantur.* t. 66. 10. An libertatem arbitrij peccando anniserint? Libertatem contrarietatis *amiserunt, quia nisi mala uelle & operari nequeunt, & servi peccati facti sunt:* Contradictonis *non, quæ propriè dicta libertas,* t. 36 & 60.

68. 11. An contra legem Naturæ peccare possint? *Omninò. Per libertatem enim arbitrij legi Naturali subiectam eam servare vel transgredi possunt, nec arbitrium ad servandam eam præcisè est determinatum. Et quia liberi, liberè etiam finem suum naturalem acquirunt, & Sic etiam deficere ab isto fine, & sic contra legem Naturæ peccare possunt.* Conf. t. 34. 12. An omnia peccata eorumq́; species committere possint? Quà reatum, *inordinationem, consensum, & complacentiam voluntatis in peccando, ac poenam, possunt, quia ad omnia consentire, ea procurare, nos ad illa instigare, & poenæ eorum reos facere possunt:* Quà formale, *affectum, actum, & gestum non possunt, sed ea tantùm, quorum obiecta spiritualia, non præcisè sensibilia sunt, Vt superbia, invidia, odium, ira, maleuolentia, blasphemia, idololatria, hæresis, pertinacia, præsumptio, infidelitas, iniustitia,*

 desperati,

desperatio. Quæ obiecta corporalia requirunt, *Vt avaritia, gula, luxuria, vel Concomitantiam Corporis, ut acedia, toedium operum spiritualium ex adiuncta difficultate, quæ ex Corpore est, formaliter in illis non sunt, quia non in illis phÿsica & animata Corpora, circa quorum voluptates aut dolores talia peccata versantur.* 13. An in peccato ita indurati, ut bona velle aut agere nequeant? Scholastici *hic varij.* Alij *aiunt*, alij *negant. Rectius affirmatur, Quod ex oppositis angelis bonis patet, qui in bono confirmati, Vt impeccabiles sint,* t. 59. *Inde nullus diabolorum locus in coelo gratiæ vel gloriæ dicitur,* Apoc. 12. v. 8. *Et peccatum ex proprio facere dicuntur,* Matt. 13. v. 19. Ioh. 8. v. 44. *Ac bona semper impediunt,* Act. 13. v. 10. 2. Tim. 2. v. 26. 1. Pet. 5. v. 8. 9. Apoc. 12. v. 9. *Mala promouent,* Ioh. 8. v. 44. 1. Ioh. 3. v. 8. Dices. Confessi aliquando sunt Christum, Matt. 8. v. 29. Marc. 1. v. 24. C. 5. v. 7. *Quod opus bonum fuit.* ℞ Historicè *& quoad extra ac coacti confessi sunt, non saluificè, intra, & spontaneè, quod verè bonum fuisset. Et potius ad suspectam reddendam veritatem, quàm promouendam, id fecerunt.* Act. 16. v. 17. *Possunt aliquod opus ex obiecto bonum operari, sed quod ex circumstantiâ quadam & fine deprauatur. Et omnes actus eorum deliberati mali sunt. Seipsos n. semel pro fine ultimo præstituerunt, in eo perseverant, & sic omnia eò perversè & pertinaciter detorquent. Vnde nonnisi mala oriri possunt.*

69. 19. An in malis operibus operas interdum partiantur dæmones? *Credibile id est, cum multos dæmonum esse, ac varijs inter se ordinibus differre certum sit, Vt interdum quidam in hac orbis parte, alij in alia, quidam in hoc, alij in alio statu turbas moueant, quod ex* Iobo, Daniele, Et Evangelicâ historiâ *constat. Vnde dæmones quosdam* Ecclesiasticos, alios Politicos

& Oeco-

& Oeconomicos *faciant*, Kirchenteufel/ hoff vnd regententeufel/ vnt Hauß vnd Eheteufel/ *Velut & de bonis angelis simile quid dici potest*, t. 61. Alij *eos iuxta elementa & loca, in quibus operantur, dividunt, Vnde satyri, aquatici, aerij, montani, diurni, nocturni, alij in ordines & certas series eos diuidunt, Vt s. angelorum hierarchiam. Sed de his nihil certi definiri potest.* V. t. 54. 15. Quando illa ad malum induratio ceperit? *Varia hic apud* Scotum, Gabrielem, Salmeronem, Thomam, aliosq; *disceptantur*. Momenta *rerũ exactè determinari nequeunt, Cum in sacris non reuelata.* Credibile, *peccatum consummatum statim insecutam. Vnde angelis peccantibus statim non pepercisse DEus dicitur*, 2. Pet. 2. v. 4. *Et DEus iusto judicio omnẽ resurgendi gratiam tàm atroci peccato negare potuit*, t. 66. *Sine gratiâ autem resurgere â peccato non datur, eoq; obduratio in illo sequitur.* 16. Quâ ex causâ profecta sit? Quidam *ex inflexibilitate voluntatis post plenam deliberationem esse putant, Vt* Thomas, Caietanus. *Sed eam non esse in angelo* t. 35. *dictum*. Alij ad *habitum malum â Deo infusum in poenam peccati, Vt* Aurelous, Alij *ad specialem conservationem odij divini in dæmonibus recurrunt, ut* Occamus & Gabriel. *Sed hæc periculosa sunt, & labem in Deum refundere possunt.* Rectiùs *ad iustum DEi iudicium ita punire decernentis & volentis tàm horrendam & plenam apostasiam id refertur, Cuius* si omnes causas specialiter & minutìm explicare nequeamus, iusta tamen Dei iudicia esse, nihilq; sine causa eum facere confiteamur, etsi nobis omnia plenè non constent. *Potest DEus iustè creaturam malitiosè â se desciscentem in æternum reijcere, cum stipendium peccati mors sit*, Rom. 5. & 9. Sicq; *iure suo absoluto, quod in apostatas habet, vti, adeoq; & indurare, gratiam abstrahere, duritiem non emollire, Sicq;*

proprio peccati genio relinquere, quo ipso obdurationem satis consequi necessum erit. Si in Casu angelorum horribiliter à se apostatantium jure isto vsus sit, quis vitio ipsi vertere poterit? Ierem. 18. & Rom. 9. *Sic in hominibus Apostatis idem vsurpare potuisset, si voluisset,* Rom. 9. v. 18. seq: *Cum non fecerit, Sed in multâ miseratione seductos respexerit, eò maiorem* gratiæ & gloriæ suæ in æternùm celebrandæ materiem nobis suppeditauit.

70. 17. An ordines certi inter Dæmones sint? *Omninò, Sic enim Scriptura superiorum & inferiorum meminit,* Matt. 12. v. 24 C. 17. v. 21. Luc. 11. v. 26. Ephes. 6. v. 12. *Sed quot, & quales in specie isti ordines sint, revelatum non est, eoq́; nec curiosè indagandum,* Vt t. 54. 63. Et Tract. d. Mag. actionib. c. 6 t. 19. *dictũ.* 18. *An* plures angeli mali, quàm boni? *Incertum hoc totum, nec ex sacris satis distinctè deducendi commoditas est.* Conf. t. 54 66 19. An intellectus, voluntas, & memoria in illis post lapsum remanserint? *Manserunt, Sed corruptissima* Intellectus *obscurus, perplexus, & in falsum pronus,* voluntas *depravatissima, & tantùm ad malum propensa, eoq́; obstinata, odioq́; Dei, bonorum, & suipsius indurata:* Memoria *intricata & confusa, ac ad malum magis, quàm bonum, retinendum habilis ac expedita, &c. Vt in s. angelis contrà est.* V. t. 23. seq:

71. 20. De vi & operationibus Dæmonum varia disquiri solent. Vt, An futura præcognoscere possint? An & *cogitata humana prævidere?* An *vera edere miracula,* an *potius mirabilia?* Cur *Deus facultatem mirabilia patrandi Diabolis concedat?* An *substantiales rerum formas immutare, homines in bruta realiter transformare, mortuos verè suscitare, tumultus & terriculamenta, tonitrua, pluuias, tempestates, excitare, bruta emaciare, homines fascinare, rerum statum & harmoniam immutare,*

mutare, aliaq́ patrare posſint? Hæc Partìm *magnam partem ex illis, quæ de angelis in genere* t. 38. ſeq. *dicta, conſtare poſſunt*: Partìm in Tractatu de Magicis actionibus, C. 4. 5. ſeq: *Vbi edendi occaſio fuerit, plenius diſcutientur.*

72. De poenis eorum *etiam quædam quæri ſolent, Vnde nonnulla ſubijcienda.* 21. An omnes angeli peccantes damnati? *Omninò. Quod ex* Matt. 25. v. 41. 2. Pet. 2. v. 4. aliisq́; *patet.* 22. An iam dùm in præſenti dolores inferni ſentiant, an in die extremi iudicij demùm eos ſenſuri? Poſterius Irenæus, Iuſtinus, Oecumenius, & Sethiani *hæretici olim aſſumpſerunt. Sed prius probabilius. Angeli n. beati ſemper vident faciem Dei,* t. 59. 60. *E. mali ſemper reiecti ſunt à facie DEi. Hoc a. eſt dolores inferni ſentire. Sic & impiorum animæ ſtatim à morte poenis inferni ſubijciuntur,* Luc. 16. v. 23. *Cur non & Dæmones ſtatim à conſummato primo peccato?* Augmentum tamen & *ultimum ac publicum complementum in extremo die ſentient, Vbi perpetu inferno alligabuntur, ut extra eum vagari in terris nequeant, Vt hodiè faciunt.* 2. Pet. 2. v. 4. Iudæ v. 6. *Quo reſpectu minùs iam torqueri dicuntur,* Matt. 8. v. 29. Luc. 8. v. 28. 31. *Eſſentialem poenam damni & ignis ſemper patiuntur: Accidentalem & totalis incarcerationis ultimo die patientur.* 23. Quomodo igne corporeo in inferno dæmones torqueri poſſint, cum ſpiritus ſint, & corporea in ſpiritus prorſùs à Corporibus abſtractos agere non poſſint? *Diuinâ virtute id fit, & modo nobis incognito, quo ut inſtrumentum DEi iuſtè punientis ita elevari poteſt, ut & in ſpiritus agere poſſit. Sic animæ impiorum flammis uruntur,* Luc. 16. v. 23. 24. *Sic & corpora diuinâ vi non conſumentur ab igne, alias eo incinerantur.* Scholaſtici *quidam per alligationem ad infernum velut carcerem, alij autem*

autem etiam per veram actionem vel intentionalem, Vt apprehensionem doloris, vel *productionem caloris in illis,* vel *spiritualem qualitatem doloriferam supernaturaliter ab igne productam,* vel *aliam actionem supernaturalem velut instrumenti DEi, ignem istum in spiritus agere posse existimant, quomodo anima, dum Corpus, quod informat, viuum exuritur, cruciatur.* V. Tanner. c. l. d. 6. *Ignis iste alterius rationis à nostro culinari erit, itaq; & aliâ ratione ab eo in spiritus agere poterit. Tutissimè* Becanus ex Augustino: Quomodo crucientur, specialiter non constat nobis. 24. An aliquando cruciatib. inferni liberandi, & in vitam æternam transferendi? Sic Origenes, *quanquam interdum & contrarium habet,* Ambrosius in c. 3. Ephes. *Si commentarius tamen eius est:* Misericordes *olim dicti, & nostro seculo* J. Denkius & Pannonius Anabaptistæ, ac Libertini *quidam, aliiq;. Contrarium patet Scripturâ,* Esa. 66. v. 24. Dan. 12. v. 2. Matt. 18. v. 8. C. 25. v. 41. Marc. 9. v. 43. seq. Apoc. 14. v. 10. C. 20. v. 10. Et Naturâ, *quæ infiniti boni offensionem æternâ poenâ dignam esse, iusteq; tali poenâ puniri ostendit, & non misericordem solùm, sed & iustum ac severum in peccatores pertinaces Deum esse docet.*

73. Sic & angelus malus, adeoq; divisio angeli ex accidentibus fuit: Ex gradibus & ordinibus angelus vel superior, qui & Archangelus, vel inferior est, qui angelus simpliciter dicitur. Superior est, qui *præest aliis, ac iussu & authoritate suâ interdum dirigit & gubernat.* Inferior, *qui subest, & ad authoritatem alterius gesta perficit. Specialia horum in utroq; angeli genere, bono & malo, incerta sunt. Conf.* t. 54.

74. Ita Consideratio angeli absoluta fuit. Respectiua est, quà in collatione ad aliud consideratur. Hoc vel ad rem,

vel notionem esse potest. Ad rem vel Cognatam, vel Oppositam. Cognatam, *Cum quâ angelus affinitatem aliquam habet. Vt* ad DEum, *quo ut Creatore inferior*, t. 19. Vel ad animam humanam separatam, *quâ Nobilior, tanquam spiritus completus & prorsus â materiâ abstractus incompleto, & quodam modo ad materiam determinato*, t. 14. Vel ad hominem, *quo etiam præstantior & superior est, quod negârunt olim* Franc. Georgius & Amadeus in revelationibus, Et ex parte Trithemius, Augustinus, ac Bernhardus ap. Tannerum c. l. q. 1. d. 4. *Ac ex istâ hypothesi fluere possit, quâ angeli Corporei statuuntur*, t. 12. Partim, *quia totus spiritualis est, Cum homo corporeus sit: spirituale autem præstantius corporeo, Vt DEi & animæ humanæ exemplo patet:* Partim, *quia intellectu & potentiâ agendi homine nobilior est, sequuntur n. hæ potentiæ naturam suæ essentiæ, quæ in angelis nobilior:* Partim *quia Scriptura super homines eum extollit*, Iob. 41. v. 24. Ephes. 6. v. 12. 2. Pet. 2. v. 11. An cum genijs & dæmonibus Platonicis analogiam habeat, hic quæri possit? *Si reverâ essent tales dæmones, ex sententiâ nempè* Platonis *genere animalia, ingenio rationalia, animo passiva, corpore aëria, tempore æterna* ap. Apuleium l. d. Deo Socrat. & Augustin. 8. d. Ciu. DEi, c. 16. & l. 9. c. 8. *analogiam qualemcunq; ad eos haberet. Sed quia ficti illi, etiam analogia ad eos vacillat, Vt Ignis inferni ad purgatorium, & Deucalionis ad Noachum apud* Pöetas. Oppositam, *cum quâ velut altera & opposita spiritui substantia est, Corpus nempè & moles corporea*, t. 10. 11.

75. Ad notionem *confertur angelus, cum* vel varijs *vocum significatis aut modis loquendi, aut Scripturæ Enuntiatis aptatur. De quo varia quæri possunt.* 1. An angeli vox vspiã increatum angelum in sacris notet? *Hoc quidam* Papistarum, Iudæi & Pho-

& Photiniani *communiter negant. Sed quædam Scripturæ loca apertè contrarium euincunt.* V. t. 7. 2. An per filios DEi Gen. 6. v. 2. angeli intelligantur? Patres *multi affirmant. Sed rectius pij & piorum filij ibi notantur.* Et Iob. 1. v. 6. & c. 8. v. 7. rectius angeli intelliguntur. 3. An voce turmariorum vel exercituum rectè intelligantur? Gen. 32. v. 10. Iob. 25. v. 3. Affir: 4. Quid angeli 1. Cor. 11. v. 10. notent? *Variè id redditur, Vt* alij *angelos*, alij *concionatores*, alij *maritos uxorum*, alij *Diabolos cum* Drusio *intelligant. Tutissime* vel *angeli sancti*, vel *ministri verbi intelligantur. Pluribus de eo alibi.* 5. An diuos aut heroes eos vocare liceat? *Proprio sensu non, sed analogico, tropico, & Metaphorico, Vt & de Christo in* Natalit. t. 29. *dictum.* Rectius *sanctos & fortes vocabimus, Vt & Scriptura loqui solet.* Psal. 103. v. 20. Matt. 25. v. 31. 6. Quo sensu electi dici possint, 1 Tim. 5. v. 21? *Non quòd in Christo vt homines ad salutem electi, non enim angelorum Mediator Christus, sed hominum,* t. 67. *Sed quòd nobiles, præstantes, ac egregij, qui etiam interdum electi dicuntur.* Gen. 23. v. 6. Exod. 14 v. 7. Jerem. 22. v. 7. Cant. 6. v. 9. 7. Quomodo & Cur stellæ matutinæ appellentur, Iob. 38. v. 7. Iudic. 5. v. 20? *Nempè quomodo etiam flammæ ignis appellantur,* Psal. 104. v. 7. *ob Splendorem & claritatem, puritatem, celeritatem, potestatem, & numeri multitudinē, quòd velut stellæ coeli exsuperent. Sic & Christus stella matutina vocatur,* Apoc. 22. v. 16.

76. 8. An per 7. spiritus Apoc. 1. v. 4. Creati spiritus intelligendi, quòd in conspectu DEi esse dicantur, quod de creaturis in sacris dici solet? Vt Tobi. 12. v. 15. Apoc. 8. v. 2. C. 11. v. 16. *Non, Sed Spiritum S. intelligi, & phrasin istam non obesse, in Pentecostal.* t. 62. *docui.* 9. An per Michäelem Apo.

12. V.

12. v. 7. Christus intelligendus, an potiùs Archangelus creatus? *Variæ hîc sententiæ.* V. t. 61. Napeirus *absurdè spiritum S. intelligit.* Multi *Christum intelligunt, Vt* Ribera, Alcasar, Lapide, Pareus, Lutherani pleriq;. *Rectiùs Archangelus Michaël intelligitur, pro fidelibus in Ecclesiâ cum suis angelis contra Sathanæ furores depugnans. Sic n.* & Dan. 10. v. 13. 14. *tanquam primarius angelorum introducitur: & socios ac adiutores habet angelos, cum quibus pugnet, quod nuspiam Christo tribuitur, qui solus pugnavit,* Esa. 63. v. 3. *Imò adjuvari & confirmari ab alijs angelis in pugnâ dicitur,* Dan 11. v. 1. *Quod etiam de Christo non: Nec in Ecclesiâ Christus ipse contra Sathanam in N. T. post ascensionem pugnare dicitur, sed fideles sub Christo adversùs eum,* Ephes. 6. v. 12. *Christus conterere caput serpentis & opera diaboli dicitur,* Gen. 3. 1. Joh. 3. *Et pro Christo ac in eo hæc pugna ab angelis & fidelibus exercetur,* v. 10. 11. *Non ergò Christus ipse pugnans.* Dan. 12 v. 1. *commodiùs Christus intelligatur.* 11. An angelus percussor in Ægypto, Exod 12. Psal: 78. v. 50. Hierosolymis, 2. Sam: 24. v. 16. Et in exercitu Sanherib, 2. Reg. 19. v. 35. bonus, an malus fuerit? Ex utroq; genere esse potuit. *Nam & bonis interdùm DEus ad puniendum utitur,* Gen: 19. v. 11. Luc. 1. v. 20. *Et angelum* 2. Sam: 24. *bonum fuisse ex omnibus textus circumstantijs patet. Percussorem tamen in Ægypto inter malos referri ex* Psal: 78. v. 50. *patet.* Conf. t. 62.

77. 12. Quid dispositiones angelorum Act. 7. v. 53. Gal. 3. v. 19. notent? *Ordines exercituum coelestium, angelorum, inter quos & quibus præsentibus, ministrantibus, ac spectantibus lex à Deo est lata. Non quòd per eos aut eorum ministerium lata sit, cum à Deo ipso immediatè lata,* Exod. 20. v. 1. 22. *Et Tò per interdum idem ac in & inter significat,* 2. Tim. 2. v. 2. Rom.

 4. v. 11,

4.v.11. Gal. 4.v.13.*Sed quòd per angelos, h. e. inter eos & eorum agmina lex à DEo ordinata & promulgata sit*, Gal. 3. v. c. l. 13. Historia Michaëlis cũ Sathanâ altercantis Iud. v. 9. an uspiã scripta? *Expressè nuspiam. Quomodo nec aliæ, ut* Hose. 10. v. 14. Luc. 13. v. 4. Act. 5. v. 36. 37. 2. Tim. 3. v. 8. *Obscurè tamen insinuata, & vestigium quoddam ejus* Deut. 34. v. 6. est. *Ac varias altercationis Causas* Patres *interdum proferunt, Vt* Oecumenius, Origenes, Clemens, Abulensis, alijq; *Sed cũ vix certi quid, tutius ambigitur, quàm de incertis definitur*. 14. An vir Iosuæ apparens angelus Michaël fuerit, Ios. 5. v. 13. an alius? Ita Serarius putat in c. 5 Ios. q. 40. 41. & 45. *ex falsâ hypothesi, quòd DEus ipse nunquam in V. T. apparuerit. Rectiùs* Christus *intelligitur in V. T. sæpiùs repræsentatus, eiq; titulus iste, princeps militiæ Iehovæ, v. 14. rectiùs competit*, Dan. 12. v. 1. V. t. 76. *Ac sic* Patres *communiter sentiunt, Vt* Clemens, Origenes, Irenæus, Justinus, Hilarius, alijq; *Vt* alibi *pluribus*. 15. An mali angeli ministri DEI dici possint? Altingus not. ad. disp. D. Behm de Cœlo, q. 3. lit. e. negat. *Sed distinctis distinguendis omninò ita vocari possunt.* V. t. 57. 16. Festum Michaelis an in honorem angeli creati, an increati, institutum sit? *Propriè in honorem Dei & Christi, ac memoriam angeli & beneficiorum per angelos à Deo nobis exhibitorum est institutum*, t. 1. *Quomodo festa in honorem Dei, sed ad memorias Sanctorum & gestorum ab illis, institui solent, Vt alibi docetur*, & Papistæ *quidam consentiunt, Vt* Innocentius 3. Durandus, Erasmus, Pazmannus, Bellarminus, Contzenius, alijq; Vt l. 2. d. simpl. fid. c. 4. t. 18. tradam. 17. Michaëlis festum quando & à quo institutum? *Varia de hoc feruntur. Ajunt, Michaëlem Sipontinis in monte Gargano 8. Id. May contra Neopolitanos victoriam obtinuisse,*

tinuisse, ibidem templum ædificasse, & quotannis invisere, Inde festum institutum 3. Cal. Oct. & dedicationem appellatum. Festi origo debetur Felici Romano Pontifici circa ann. Chr. 480. Vt Petr. de Natalibus l. 4. Catal. Sanctor. c. 140. Et l. 8. c. 130. Et Lombardica historia c. 140. *tradunt. Quanquam alij* Gelasio Papæ ad ann. 493. *idem tribuunt, & bellum non inter Sipontinos & Neapolitanos, sed Odoacrem & Theodoricum viguisse, nec alio privato Italiam tùm flagrasse, ac Sipontinos Theodorico se dedidisse, quam ob rem ab Odoacre vexatos esse, ex* Sigeberto & aliis *narrant, Vt* Baronius T. 6. Ann. sub annum 493. n. 43. *Res authoritatibus nixa est, nec in Veteribus istis historijs perpetua apud Scriptores certitudo inveniri potest. Hæc etiam* de Michaëlibus ac Angelorum naturâ, totoq; præcipuorum per annum festorum decursu, in *laudem gloriosæ DEi gratiæ per angelos nos custodientis, disceptata sufficiant.*

GLORIA IN EXCELSIS DEO.